BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
18 1
32

Digitized by Google

Digitized by Google

DD. Virorum
EPISTOLÆ
ET
RESPONSA,
Tum Medica, tum Philoſophica.

Quibus ob Materiæ affinitatem adduntur

ENCOMIA MEDICINÆ,

Nec non

PULVERIS SYMPATHETICI,
compoſitio accuratiſſima.

Quorum ſeriem Pagina verſa poſt Præfationem continet.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROTERODAMI,
Excudebat Rudolphus à Nuyssel.
CIↃ IↃC LXV.

Digitized by Google

GUL. BEVEROVICIUS
LECTORI
S.

CUm amici diu multumque ſollicitaſſent parentem meum, ut tandem in publicum prodire pateretur. Quæſita per Epiſtolas, quibus reſponſa reddidit; mihi, multis ipſe, & multigeneribus negotiis diſtractus, ut eam provinciam per otium ſuſciperem, mandavit. Dum in eo ſum, & multis annis ſcripta, ac varie diſperſa, colligo, viſum præmittere Epiſtolicas haſce Quæſtiones, quibus reſpondetur à nobiliſſima, &, quotquot unquam tellus tulit, virginum eruditiſſima, atque viris ingenio, doctrina, & judicio

Digitized by Google

præſtantiſſimis. Argumentum varium eſt, Theologicum, Politicum, Criticum, Medicum, Botanicum, Anatomicum, Phyſicum, Metaphyſicum. Antequam ederentur, legit hæc, pro familiaritate, quæ illi cum parente intercedit, ampliſſimus Bovinii toparcha, cui adeò placuere, ut inſigni ea, quod vides, carmine condecorare dignatus ſit. Succinit tanto viro elegantiſſimus poëta Boyus, cujus Poëmata brevi lucem videbunt. Vale.

IN.

INDEX
AUTHORUM, ET RERUM.

Q*Varit, & examinat* Pag. 1
JOHANNES BEVEROVICIUS,
Cum dominus noſter paſſim tactu, etiam verbo, incurabilibus vexatos morbis ſanitati reſtitueret, quænam ratio ſit, cur, in ſanando cæco, uti voluerit linimento & pulvere ſputo conſperſo? 5
Reſpondet
ANNA MARIA SCHURMAN. 14
Q. Num liceat defunctæ uxoris è fratre vel ſorore neptem uxorem ducere? 18
R. ANDREAS RIVETUS. 23
Q. De loco Plinii, *Atque etiam eſt morbus aliquis per ſapientiam mori*, 26
R. DANIEL HEINSIUS. 29
Q. De loco Apoſtoli, *Per fidem Sara accepit poteſtatem* εἰς καταβολὴν σπέρματος. 30
R. DAN. HEINSIUS. 53
Q. Super loco Moſis, de *cruentato ſponſarum linteo*, & aliis Virginitatis ſignis, 65
R. BALTHASAR LYDIUS. 68, 78
Q. De loco Plinii ſupraſcripto, 75
R. CLAUDIUS SALMASIUS. 79
Q. Cur Sternutamentum veteribus habitum pro Deo? 84
R. CLAUD. SALMASIUS. 85
Q. De Platonis loco in Timæo, 87
R. DAN. HEINSIUS. 88
Q. De loco Apoſtoli ad Corinthios. 89
R. DAN. HEINSIUS, 91
CLAUD. SALMASIUS. 94
Q. Super loco Plinii *de aperiendo capite*,
R. CLAUD. SALMASIUS,

Q. Super

Q. Super loco Euang. *de Hyſſopo*, 95
R. Claud. Salmasius. 96
Q. De voce *Ramex*, & gemino Plauti loco, 97
R. Claud. Salmasius. 101
Refert exemplum Calculorum è Renibus
Joh. Beverovicius. 106
Problema de Hyprope
Lazari Meyssonnerii. 113
Q. De Motu Cordis, & Circulatione Sanguinis, 118
R. Renatus des Cartes. 119
Q. De natura, & viribus Menthæ, 150
R. Anchises ab Andla. 156
R. De Lyncurio lapide
Balthasar Lydius. 161
Q. De providentia Dei in politicis, 165
R. Andreas Colvius. 169
Q. Super loco Samuelis, *An verus fuerit Samuel, qui à morte colloquutus cum rege Saulo,* 196
R. Gerardus Joannes Vossius. 197
Q. De priſci ævi diuturna vita,
R. Joh. Westerburgius. 215
Q. De curatione iterati Abortus, 218
R. Cornelius à Someren. 219
An totus Homo ſit Morbus,
Guido Patinus. 22.
Deſcribit modum curandi vulnera per Sympathiam
Ludovicus Nassavius. 22.

JOH.

IOH. BEVEROVICIJ
EPISTOLICÆ QVÆSTIONES, *CVM*
DOCTORUM
RESPONSIS.

ANNÆ MARIÆ A SCHVRMAN, *Minervæ, & Muſarum delicio,* IOH. BEVEROVICIUS, *S. D.*

NOBILISSIMA VIRGINVM,

CVM non injuriâ vererer divinas occupationes tuas vernaculis hiſce nugis interpellare, commodùm accipio Panegyricum Hetruſco ſermone eleganter Romæ tibi ſcriptum. Hoc comite molles ſibi aditus apud te ſperat hæc proles mea. Quam ſi ſolita humanitate exceperis, animus addetur fraterculo, brevi tentandi eandem aleam. Iam enim abſolvi libellum de *αὐταρκείᾳ* ſingularum regionum, quo demonſtrare conor in unaquaque à Deo *O. M.* abundè proviſum omnibus, quæ ad vitam & ſanitatem neceſſaria, ac proinde & nobis eſſe domi quod fruſtra quærimus foris, atque veluti ex alio orbe ad nos deferri curamus. Non placebit, ſat

Digitized by Google

ſcio (hæc enim tantum competere placentis & vino Pramnio dicebatBion) omnibus, iis præſertim, quorum palato nil niſi vetuſtate rancida ſapiunt: verùm ſufficit, ſi ſaltem eruditis & bonis, inprimis vero tibi, quæ facile inſtar omnium, non omnino diſplicebit. Mihi ſane tam jucunda fuit ejus opellæ confectio, ut vix protuerim manum de tabula, antequam ad umbilicum duxiſſem. At quid tu, Heroina, cui quieſcere vel volenti vix licet? Nam, ut rectè Lipſius noſter, *famam bonam omnes boni volumus: ſi crevit & late ſe ſparſit, pondus ut tueare, affert, & illi, non tibi tantum viris.* Quare judicia eorum, qui ubivis terrarum nomen tuum merito ad cœlum efferunt, tuenda tibi præclaro aliquo opere eſſe cenſeam. Paro, vel potius paratas habeo Epiſtolicas quæſtiones, in quibus & reſponſa prudentum; quæ invidia eſt, quo minus permiſſum principibus literarum legatur auguſtum Schurmannæ nomen? Suppeditabo argumentum. Cum Dominus noſter paſsim tactu, etiam verbo non tantum incurabilibus vexatis morbis ſanitati reſtitueret, ſed & mortuos in vitam revocaret, quænam ratio cur in ſanando cœco uti voluerit linimento? Narrat euangeliſta Iohannes, quomodo Chriſtus cœcum à nativitate videntem reddiderit, poſtquam ejus oculis lutum ſputo mixtum illeviſſet. Hoc, quo tibi anſam cenſendi & interpretandi præbeam, placet paucis examinare. Non fruſtra cœcum hunc dici ἐκ γενετῆς,

non

non fruſtra monuit ampliſsimus Grotius, quod conſtet tale vitium humana ope eſſe inſanabile: præcipuè ſi non tantum viſus uſu, ſed & inſtrumento fuit orbatus, uti voluere plurimi e Patribus, quos citat in Ariſtarcho ſacro magnus Heinſius. Cui interpretationi textus ipſe, niſi ipſe valde cæcutio, plane repugnat. Nam cum vicini eum viderent recuperato jam viſu, *qui prius* (inquit Euangeliſta) *viderant cæcum eſſe, dicebant, Nonne hic eſt, qui ſedebat, & mendicabat? Ille dicebat, Ego is ſum. Dixerunt ergo ei, Quomodo aperti ſunt tibi oculi? Reſpondit ille, & dixit, Quidam qui dicitur Ieſus, lutum fecit, & illevit oculos meos, & dixit mihi, Vade ad piſcinam Siloam, & lava. Vt autem abij ac lavi, viſum recepi.* Viderant eum cœcum, τυφλόν, hoc eſt, ut illi volunt, oculis captum, quaſi non eſſent tum in aliis, tum præcipue in Suffuſione, & Opticorum anguſtia cauſſæ Cæcitatis incurabiles, ut non ſolum ad luminis, ſed ipſorum oculorum orbitatem (tanquam majus, quo reſpexiſſe videntur, ut ſolent, pij Patres, miraculum) recurrendum ſit. Nec vox τυφλός, quo hic ſæpius utitur Euangeliſta, unquam Græcis, quod ſciam, uſurpatur pro ἀνόμματος. Neque quærunt Iudæi, unde dati tibi oculi? (ut alias debuiſſent) ſed *quomodo aperti?* aperiri autem non poterant, niſi prius clauſi. Et reſpondit ille, *Illevit oculos meos*, quod non poterat, niſi antea habuiſſet. Sic Nonnus, cum tamen veteres ſequutus fuiſſet,

—καὶ ἔπλασε φέγγος ὀπωπαῖς
Χριστὸς ἀπὸ βλεφάρων ἐλάσας ἀλαωπὸν ὁμίχλην.

Vbi accuratè, ut ſemper, nunquam ſatis laudatus, nec laudandus Heinſius: *Et quare oculis nunc tenebras abactas ait, quos tum primùm formatos, ac creatos antè, ac toties dixit.* Volebant illi, ut Deus olim Adami corpus è terra, ita nunc Chriſtum oculos huic cœco formaſſe ἐκ πηλῶ, quem inde vocant ὀμματουργάτην. Ac nihil minus dicit Euangeliſta, neque legimus Chriſtum ullas unquam partes vel formâſſe, vel creâſſe. Cypriano tamen dicitur, *Sputo oculos Chriſtus fabricavit.* Grotius putat Chriſtum ſalivâ lutum feciſſe, quia aqua ad manum non erat. Sed an in hoc linimento aliquod medicamentum? Plerique exiſtimant in eo, quòd lutum huic vitio curando planè contrarium ſit, miraculum ſpectari. Hic ob vim luti repellentem improbat in anginoſis hirundinum nidos, alijs laudatos, Pereda. Quid ſi dicamus *pulverem ſputo conſperſum* (ita vocat Auguſtinus) digerendi, attenuandi, & detergendi facultate præditum? Eam in ſaliva, experientiâ edoctæ agnoſcunt mulierculæ noſtræ. Et acrimoniam pulveris ſentiunt in oculis, qui æſtivo tempore iter faciunt, cui etiam (quod Plinius agnovit xv. Nat. xix) ſiccandi, humoreſq; abſorbendi facultas. Quod tamen parum ſufficiens, & invalidum cæcitati remedium. Tuum eſt hic, doctiſſima Virginum, cenſere ac judicare. Vale. Dordrechti x. kal. Quinctil. CIϽ IϽ C XLII.

Iohanni

IOHANNI BEVEROVICIO.

Senatori & Archiatro Dordrechtano.

S. P. D.

ANNA MARIA A SCHVRMAN.

MVnerum tuorum quaſi protelis me obruis, Vir clariſſime, & jam ſuppuduiſſet nihil præter meras grates epiſtolares referre, niſi opportunè in mentem mihi veniſſet dicti illius Senecæ, *Qui feſtinat utique reddere, non habet animum*, grati hominis, ſed debitoris. Spero autem fore aliquando, ut, ſi non munus munere expungere, ſaltem me ab omni labe ingratitudinis purgare queam. Cave tamen exiſtimes, mihi decretum eſſe hîc rationum noſtrarum calculum ſiſtere; ſiquidem illecebroſa quadam humanitate facis, ut etiam pluribus inſuper nominibus tibi devinciri non recuſem: præſertim verò cùm idem ille eximius τῶν Χαρίτων myſta non immeritò aſſerat: *Qui nova accipere non vult, acceptis offenditur.* Salivam mihi movet tractatus, quem de ἀυταρκείᾳ ſingularum regionum nuperrimè conſcripſiſti; nec miror illius meditationem, tibi perjucundam fuiſſe, quoniam divina providentiâ hac in re non

úno modo effulget, atque omnium animis admirationem indicit. Adde, quod excelſiora quæque ingenia, ut ſapientiæ & literarum commercia longe lateque extendi, ſic opes & delicias illas externas certis natura limitibus circumſcribi poſtulant. Porro quidnam ego rerum agam quæris. Ingenue dicam, non minimam curarum partem hac æſtate ſibi vindicavit hortorum cultus. Atqui, inquies, an hoc eſt litare famæ, eique nova parare trophæa? Neſcio ſane: id certe uſu compertum habeo, mihi non ſolum voluptati, ſed etiam utilitati fuiſſe, tam præclara Dei opera penitius intueri, tractare, rimari. Famam magnam nec optavi unquam nec merui, ea invitæ ſi obtigit, non derelinquet invitam. Paucis verò boniſque probari, mihi ſatis amplum theatrum eſt. Quod autem novam ingenioli mei exercendi ſuggeris materiam, id honeſto tuo in nos ſtudio vel in primis ferimus acceptum. Quæſtionem uti video, hiſce verbis complexus es: *Cum dominus noſter paſſim tactu, etiam verbo incurabilibus vexatos morbis ſanitati reſtitueret, quænam ratio ſit, cur in ſanando cœco uti voluerit linimento?* Equidem ſi omnino omni temeritatis culpa carere vellem, ad imitationem Socraticæ modeſtiæ paucis reſponderem: Hoc unum ſcio, quod nihil certe hic ſcire poſſum. Poſtquam enim ſigna hæc externa prorſus arbitrariè vel uſurpata vel omiſſa fuiſſe conſtat, nec alium ſæpe finem habent, quam ut occultam ipſius miraculi virtutem, aut ſaltem

ſaltem ipſum θαυματουργὸν, cujus legatio hoc pacto cœlitus comprobari ſolebat, viſibili nota deſignent, araneæ telas, quod dicitur, texet is, quicunque ſingulis peculiares cauſſas aſsignare conabitur. Occaſionem hac de re curioſius inquirendi dedêre gloſſæ quorundam veterum, qui immemores admonitionis Apoſtoli, qua ad ipſius exemplum docemur τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν plus nimio αἰτιολογίαις ἀγράφοις indulgent. Mihi profecto e diverſo egregie allubeſcit hoc magni Scaligeri effatum: *Neſcire velle, quæ magiſter maxumus te ſcire non vult, erudita inſcitia eſt*. Attamen ſi humanis ratiunculis habenas non nihil laxare fas ſit, hoc quidem in genere affirmare liceat, ſervatorem noſtrum varijs ſignis cæremonijſque uti voluiſſe, ut ne rebus illis externis, ſi ſemper eædem atque eodem modo adhibitæ fuiſſent, aliquid tribueret in ſuperſtitionem prona mens mortalium, quod non niſi ſoli virtuti divinæ deferendum erat. Deinde (quod proprius nodum tangit) non à vero abludit, Dominum tam vilia, & in ſpeciem contraria perſanandis oculis admoviſſe, partim ut oſtenderet ſe non φυσικῶς, ſed plane ὑπερφυσικῶς operari, partim vero ut fidem atque obſequium ipſius cœci per hæc veluti diverticula exploraret, omnibuſque ſpectandum exhiberet. Quo non inepte retulerim verba Chryſoſtomi: ὁ νεεμὰν κελευσθεὶς ἀπελθεῖν λούσασθαι εἰς τὸν Ἰορδάνην ἠπίστει, καὶ ταῦτα φήμης τοσαύτης οὔσης περὶ Ἐλισσαίου. ἀλλ' οὐχ ὁ

 τυφλὸς

τυφλὲς ἠπίςησεν ὐδ' ἀντεῖπεν ὐδὲ ἐλογίσατο πρὸς ἑαυτὸν τί ποτε τȣτο ἐςὶ πηλὸν ἐχρῆν ἐπιθεῖναι ὐ τὸ πηρῶσαι μᾶλλον ἐςὶ &c. Nec deſunt denique magni Theologi, qui volunt primi hominis ex humo creationem hoc ſigno repræſentatam fuiſſe: quod ego ſanè non adeò gravatim in cæteris admitto. Sed fortaſſe inquies, an etiam concedis in ſententiam antiquitatis, quæ paſſim cum Cypriano Chriſtum ſputo oculos fabricaſſe ſtatuit. Minimè gentium. Quanquam autem, ut in reliquis quoque miraculis creatricem potentiam, nec non organorum quorundam vitium congenitum ultro agnoſcimus: tamen, niſi ego valde cæcutio, nihil cauſſæ eſt, cur aſſentiendum ſit Chryſoſtomo, qui (ſed parum ἱςορικῶς) hunc in modum perorare non dubitat: ὐκ ἔπλασε μόνον ὀφθαλμὺς, ὐδὲ ἀνέωξεν ἀλλὰ καὶ τὸ ὁρᾶν ἐχαρίσατο ὅπερ τεκμήριόν ἐςι τȣ καὶ ψυχὴν ἐμφυσῆσαι ἐκείνης γὰρ μὴ ἐνεργȣ́σης, ὀφθαλμὸς κἂν ἀπερτισμένος ᾖ, ὐκ ἄν ἴδοι ποτὲ ὥςε καὶ τὴν ἀπὸ τῆς ψυχῆς εὐγένειαν ἐχαρίσατο, καὶ τὸ μέλος ἔδωκεν πάντα ἔχον, καὶ ἀρτηρίας, καὶ νεῦρα καὶ φλέβας καὶ αἷμα καὶ τὰ ἄλλα πάντα ἐξ ὧν σύγκειται ἡμῖν τὸ σῶμα. Quid enim hæc aliud præ ſe ferunt, quàm ἀνόμματον fuiſſe hunc cœcum? cujus certè nulla veſtigia, ut recte notas, in S. Literis comparent. Quin etiam novam eiuſmodi oculorum fabricam ad miraculi gloriam minimè requiri, palam eſt. Sufficit enim quaſlibet cœcitatis cauſſas incurabiles, ſive eas in impedimento, ſive in defectu quodam

dam,ut ita dicam,naturali,collocemus, ſupernaturali efficiendi modo ſuſtuliſſe, atque adeò viſum, quem natura huic homini negaverat, abſque ullo temporis ſuccedanei auxilio, contuliſſe. Nihilo accuratiùs dicitur, oculos huius cœci ſputo, vel, ut ait alter,ſputo pulvere conſperſo,tanquam materia ex qua, ut cum philoſophis loquar, fabricatos eſſe. Tantum verò abeſt, ut huic interpretationi faveat Sacra Hiſtoria,ut vel è contrario illum aquis Siloë abluiſſe hoc linimentum non obſcurè commemoret. Quæ cùm ita ſint,non poſſum non mirari, quî eiuſmodi deliquium in tam magna Eccleſiæ lumina cadere potuerit;niſi,quòd ſanè æquitatis eſt, iſti ſeculo,quo infœlici quadam κακοζηλίᾳ accidit, ut dubites,magiſne cathedræ Chriſtianorum,an verò Ethnicorum noſtra de phaleratæ iſtius eloquentiæ corona certarint,rigidioris examinis gratia facienda ſit.Cùm igitur Patres illi non acroamaticum,ſed exotericum dicendi genus amplexi ſint,atque hyperbolis, allegorijs, alijſq; figuratis locutionibus veritatem, Platonico more, involverint : adeò ut non ſemel ijs uſu venerit, quod de ſe fatetur Hieronymus contra Helvidium:*Rhetoricati ſumus,& in morem declamatorum paullulum luſimus*; Quis,inquam non videt rem aleæ plenam tentare eum, qui fidentiùs de vero ac genuino eorum ſenſu pronunciare velit? Ad extremum in controverſiam venit, an in hoc linimento aliquid fuerit remedij? Non me fugit; celeberrimum inter alios Valeſium,

artem

artem veſtram, veluti auxiliarem Deam, nonnunquam in partes vocare, nominatim ubi de ſanatione Naaman ita ſcribit: *Divina virtute factum eſt, ut quæ (ſi res ſoli naturæ committeretur) leviſſima fuiſſet curatio, pro tanto & tam inveterato morbo, fuerat ſufficientiſſima & perfectiſſima: non tamen ita fuit divina ac miraculoſa curatio, ut non velut initium quoddam habuerit naturalis. Nam deſcendere in fluviales aquas crebro, innatareque præcipue ad rapidos aquarum vortices, plurimum facit, ad eliciendum omnem cutis immunditiam, atq; ſanandum omne genus ſcabiei: neque quidem ſolum ſcabiei ſimplicioris, ſed etiam lepræ ac lichenum.* Quod profecto magnum poſtulatum eſt, niſi quis dicat, quicquid ille naturæ viribus adſcribat, illud totum referendum eſſe ad antecedentem quandam præparationem, quæ cum ipſa operatione miraculoſa, qua tali (ut phraſi ſcholaſtica utar) neutiquam concurrit. Alioqui *nulla* (quemadmodum Picus, orbis literarij delicium, jure aſtruit lib. iv. contra Aſtrologos cap. xiv.) *cogitari poſſit maior inſania, quam ut factum aliquod ſupra naturam naturæ viribus putes. Eſt enim*, ut alibi declarat, *ordo rerum à Deo pro naturali curſu inſtitutarum, ita ſuis finibus incluſus ſeiunctuſq; ab his rebus, quæ divina virtute & voluntate fiunt præter naturam, ut hæc omnia ſi tollantur, nihil deſit, nihil ſuperſit.* Tametſi verò in quibuſdam exemplis, quippe Naaman, Ezechiæ, aliorumque ad hunc, quo dixi, modum, aliquod naturæ beneficium acceſsiſſe concedimus: hic tamen

men, qui locum obtinere poſsit, non perſpicio. Quicquid de luto diſputent medicinæ conſulti, quicquid detergendi, attenuandi, ſiccandi, humoreſque abſorbendi facultatem ei ineſſe contendant, ſemper, ni fallor, in luto hærebunt, ſi in eo quærere velint aliquod cæcitati medicamentum. Enimvero nihilo plus tum medicamentoſæ virtutis, tum analogiæ ad huius miraculi apoteleſma producendum hac in re apparet, quam cum Chriſtus ad curandum κωφὸν μογίλαλον, in eius aures, digitos immiſit, eiuſque linguam (verba ſunt Euangeliſtæ) πτύσας ἥψατο : quæ revera omnem medelæ cogitationem excludunt. Proinde, ſi meo arbitratu hæc lis dirimenda ſit, album calculum adjecerim Ambroſio, cujus ſententia hæc eſt: *Quod cæcus à nativitate curatur, non artis, ſed poteſtatis eſt. Donavit enim Dominus ſanitatem, non medicinam exercuit.* Sed hæc hactenus. Epiſtolam D. Slingelantij vidimus; nec non adjunctum Panegyricum Hetruſco ſermone Romæ editum, quem ego ab elegantia, & ſpiritu poetico maxime probarem, ſi dignam arte ſua formam nactus fuiſſet hic Apelles. Silentij mei excuſationem non affero, quia per varias occupatiunculas non ſemper mihi licet neque ingenio, neq; officio meo obſequi. Quod ſi hæc culpa expiari loquacitate poteſt, jam tibi abunde ſatisfactum arbitror. Vale & ſalve quam plurimum, vir humaniſsime, cum amicis omnibus. Vltrajecti prid. Id. Octobr. CIↃ.IↃ.C.XLII

ANNÆ MARIÆ A SCHVRMAN, Virgini Nobiliſſimæ.

IOH. BEVEROVICIVS. S. D.

NObiliſſima Virginum, Multum tibi debeo, quòd me condecorare dignata ſis tam erudito reſponſo, non ſine admiratione ab eruditis legendo, cui inter alia primas dabo, Epiſtolicis τηλαυγὲς frontiſpicium. Mitto nunc Αὐτάρκειαν Bataviæ, ſive Introductionem ad Medicinam indigenam, de quo argumento judicium tuum videre optem: nec minus ſemper venturam. Quod cum filiola tibi obſtricta primo vere futurum ſpero. Interim ex animo ſalve, & vale cum nobiliſſimo fratre fœliciter. Dordrechti III. Kal. Novembr. CIƆ IƆ C XLII.

V. C. IOHANNI BEVEROVICIO, S. P. D.

ANNA MARIA A SCHVRMAN.

SI tardius reſpondeo ad ſuperiores tuas literas, Vir ampliſſime, quam pro expectatione fortaſſe tua; nolim ignores non minimam partem hujus culpæ reſidere vel in mora iſtius amici, cui tuas ad me perferendas tradidiſti, vel in αὐταρκείᾳ potiùs tua, quæ cum omnibus arrideat, atq; te etiam autore, nuſquam non, tanquam in patrio ſolo, habitare recuſet, facilè ſe detineri in itenere paſſa eſt. Quicquid ſit, mihi certè, ut tandem nacta ſum

eximium

Digitized by Google

eximium hoc opuſculum, tam illecebroſum cùm ob argumenti ipſius utilitatem, tum ob ſtyli elegantioris venuſtatem viſum eſt, ut vix ab ejus lectione priuſquam abſolviſſem, ſpiritum revocare potuerim. Nihil utique meo calculo, hiſce ſeculis proditum eſt accomodatius tuis rationibus, quibus cuilibet regioni indigenarum herbarum uſum ſufficere contendis. Vtinam tam benignè gratioſeq; à veſtri ordinis hominibus excipiatur hoc conſilium, quàm eſt pulchrè feliciterq; abs te excogitatum. Perge itaq; ejuſmodi ſcriptis orbem literarium magis ac magis illuſtrare, optimaque præcepta de arte medica recte inſtituenda, ex umbra in ſolem (quod dicitur) educere. Quòd meam epiſtolam longè ſupra meritum laudibus extollis, adeoq; vel primas illi inter alia doctorum virorum monumenta te decreviſſe ſcribis, incredibile eſt, quantopere hac in re à te diſſentiam. Tantum enim abeſt ut lucubratiunculis meis id honoris tribuam, ut ijſdem vix ullam publicæ lucis uſuram concederem, niſi magis aliquoties amicorum efflagitationibus, quàm meo judicio obſecundandum eſſe putarem. Video quam prolixè te primo vere unà cum lectiſſima Filiola tua ad nos excurſurum promittas: ſed vide, ne meis quoq; veſtigijs inhæreas; &, dum ſatis ſalſè rides morem noſtrum, tu pariter moram interponendo, ejuſdem culpæ inſimulari queas. Vale ſummum Medicorum Decus, & ſalutem à me tuis omnibus nunciare ne graveris. Vltrajecti xii. Kal. April. CIↃ.IↃ.C.XLII.

ANDREÆ

ANDREÆ RIVETO,

S.S. *THEOLOGIAE DOCTORI,* *& in Acad. Lugduno-Batava Profeſſori, atque* Gulielmi Arauſionenſis *Principis Ephoro.*

Ioh. Beverovicius S. D.

SEcundas nuptias, tametſi nullo jure prohibitæ ſunt, taxatas tamen non modo à theologis & iuriſconſultis quibuſdam video, ſed etiam varijs poëtarum cavillationibus exceptas. Incertus lib. I. Ἀνθολογίας

> Εἴπς ἅπαξ γήμας, πάλι δεύτερα λέκτρα διώκει,
> Ναυηγὸς πλώει δὶς βυθὸν ἀργαλέον

Quæ vertebat magnus noſter Eraſmus:

> *Altera connubium experto cui ducitur uxor,*
> *Hic fracta repetit æquora ſæva rate.*

Sed neuter noſtrum eas improbavit: neque pœnitet. Minus fortaſſe inter nos conveniet de illegitimo ad nuptias gradu. Inceſtum eſſe dabo, deduci in domum patrui, fratris filiam. Ac quamvis Claudius Imperator novo exemplo nupſerit (ita cum Martiale hic loqui liceat) Agrippinæ fratris filiæ, & juſtas inter patruos fratrumque filias nuptias etiam in poſterum ſtatuerit: nemo tamen repertus eſt, inquit Tacitus XII. Annal. niſi unus talis matrimonij cupitor, quem plerique Agrippinæ gratia impulſum ferebant. Et Iuſtinianus con-

ceptis

ceptis verbis vetat fratris vel ſororis filiam uxorem ducere lib. 1. Inſtit.tit. x. Sed hunc gradum etiam in affinitate locum habere,mihi non ſit veriſimile. In jure civili ſeptem numerantur,à quarum nuptijs abſtinendum eſt, Privigna, Nurus, Socrus, Noverca, Fratris vidua, Soror uxoris, & Privigni vidua. Sed poſt Iuſtinianum & in Oriente, & in Occidente tam latè prohibitio affinitatis, quam cognationis introducta eſt, imprimis ab Innocentio 3. pontifice. Quod miror etiam probatum iri ab ijs,qui quæ quam longiſsime abeunt à Romana eccleſia, quam maxime probare ſoleant. Triennium & amplius eſt, quod civis quidam hujus urbis ſupplice libello poſtularet à magiſtratu, ſibi concedi cum defunctæ uxoris nepte è ſorore matrimonium contrahere. Cumque è Senatoribus alij legitimum, alij illegitimum, quidam, à theologis noſtris admoniti, inceſtum eſſe dicerent: placuit tres eligere, qui rem tot controverſijs implicatam ſeorſim examinarent, & deinde ad collegium referrent. Igitur ubi conveniſsimus, (ego unus ex tribus eram) vidimus inter alia reſcriptum principis Mauritij,quo ſimile matrimonium concedit XXIX. Sept CIↃ IↃ XCII. & rationem addit, quod tale nec S. Scriptura, nec ullo unitarum Provinciarum decreto fuerit prohibitum. Et certè utrumque facile probari poteſt. Neque enim ullum adhuc mihi S. Scripturæ locum videre contigit, in quo diſertim tale matrimonium illegitimum

legitimum declaretur. Neque video, ſi hominum authoritate ſtandum eſt, cur plus hic valere debeat Iuniana, quam vel Zanchij, vel aliorum. Per leges quoque Patrias conſiſtere poſſe tale matrimonium, ipſi Ordines interpretatione & conſenſu ſuo non ſemel declararunt. Itaque Senatus Dordrechtanus nemine diſſentiente hoc matrimonium approbavit. Inceſtum tamen habuere Eccleſiaſtæ; & jam publica authoritate coniuges, tanquam inceſtuoſos cœnâ dominí arcent. Equidem fateor, (quod à Modeſtino proponitur L. *Semper* 42. *ff. de ritu nuptiar.*) In nuptijs non ſolùm quid liceat, ſed etiam quid honeſtum ſit, reſpiciendum: & placet illud Auguſtini è lib. xv. de Civit. Dei. cap. XVI *Pactum licitum, ob vicinitatem horretur illiciti*: quare præſtare cenſeo, ut potiùs diſſuadeantur, quàm facilè concedantur tales nuptiæ. Sed ſæpe nec res, nec virginitas integra eſt, ita ut ſatius ſit de ſummo iure paullùm concedere, quàm nimia pertinaciâ committere, ut majus inde oriatur ſcandalum. Si nimirum non divino, ſed humano ſeu poſitivo (ut vocant) jure illicitæ ejuſmodi nuptiæ ſtatui queant: nec niſi gravi de cauſſa Principe vel Magiſtratu diſpenſante ſtabiliantur. Hæc mihi ἀρίςη φαίνεται βȣλή. Niſi fortè malimus Principem, Bataviæ Ordines, & Civitatum Magiſtratus inceſtarum nuptiarum authores dicere: & hominibus pijs, ac nullius facinoris ſibi conſcijs quod publica authoritate matrimonium

inierint,

inierint, magnis quoque Theologis, & Iuris Conſultis, probatum, Chriſtianorum ſacris perpetuò interdicere. Quin etiam liberos ex tali conjugio natos vel privare paterna hæriditate, vel jam adita exturbare: ac pro ea miſeris ac innocentibus inextinguibilem infamiæ notam inurere, eamque ad poſteros omnes propagare.

Sit nobis hic judex, qualis ab Æſchylo deſcribitur Sept. ad Theb.

Βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενος,
Ἐξ ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα.

Talem te eſſe, Vir prudentiſſime, nemo non agnoſcit, niſi qui te ignorat, & eruditas virtutes. Quare cum apud nos ſit vir probus, qui uxoris defunctæ è fratre neptem amat, & ambit Sedani agentem, ubi Theologi hoc matrimonium probare dicuntur, quamvis clariſsimus Colvius noſter binis literis nullum ſuper ea re reſponſum à D. Molinæo elicere potuerit, viſum viro nil niſi circumſpecte & prudenter agenti, ut non tantum ipſe præſens de eo tecum conferret, ſed has quoque literas ad te afferret ſententiæ meæ indices, quam accuratiſsimo tuo & tui ſimilium judicio lubens ſubmitto. Hanc igitur, Vir præſtantiſsime,

magis acri
Iudicio perpende: & ſi tibi vera videtur,
Dede manus: aut ſi falſa eſt, accingere contra.

Refractarius eſſe non poteſt, cui non alius ſcopus, quam veritas, & ſimul eccleſiæ ac reip. concordia. Quam propriam nobis faxit, veritatis & pacis author & te utrique diu patronum ſervet. Reverende, & clariſſime vir vale, & me porrò inter nominis tui cultores fovere perge. Dordrechti x. Sept. CIↃ IↃ C XXXV.

IOHANNI BEVEROVICIO,

Doctori Medico, Patritio Dordrechtano,

ANDREAS RIVETVS. S. P.

Clariſſime & doctiſſime vir. Sera fortaſſis erit reſponſio mea ad literas tuas x. Septembris datas, & domum meam allatas per eum virum cujus intererat. Sed potuit ipſe à domeſticis meis diſcere, teque id docere, me in comitatu aulæ extra ædes meas verſari, & deſultoriam hanc vitam degere jam inde à trimeſtri, a familia, & familiaribus libris exulantem. Etiamnum hic in Geldria nos detinet exercitus vicinia, prorogaturos, haud dubio, peregrinationis noſtræ tempus, quamdiu locus hic purior erit à morbis Epidemicis, ijs quæ reliquimus ſuſpecta & infecta, & in quibus lues illa ſævius graſſatur, à qua tamen hæc civitas non eſt

eſt penitus immunis, in quam quotidie ex caſtris veniunt qui vel peſte ſunt correpti, vel morbis peſti affinibus, Dei manu,ubique ferè ſe exerente, nec immeritò. Sed his providentiæ ejus relictis & commiſſis qui Σωτὴρ ἁπάντων ἐςὶ καὶ γενέτωρ, ad Epiſtolæ tuæ doctiſſimæ & ſuaviſſimæ ſcopum deſcendam. Quæſtionem proponis in cauſſa conjugati arduam ac difficilem, ſæpè inter Theologos agitatam,an quis ſalva conſcientia uxoris defunctæ neptem ex fratre vel ſorore ducere poſſit? Quæ a Iureconſultis & doctoribus Pontificijs ſuper ea ſcripta fuerunt, ipſe tu diligenter expendiſti, & doctiſſimè in Epiſtola tua expreſſiſti. Sed ad caſus conſcientiæ propriè non reſpexerunt priores, qui ſolent etiam in nonnullis indulgere, quæ lex divina non probat, quod factum etiam fuiſſe à Moſe quatenus fuit princeps politicus, in cauſſa divortiorum, notius eſt, quam ut probatione egeat. Quod verò Pontificios ſpectat, ij non minus alligant conſcientiam conſtitutionibus humanis, quam ſanctionibus divinis: ſed prius illud faciunt, ut in relaxatione & diſpenſatione poteſtatem ſuam exerceant,& avaritiam ſatient. In hunc finem gradus conſanguinitatis & affinitatis extenderunt præter legem Dei, & quia lege Dei prohibiti fuerunt, eos poſitivæ legi Iſraelis populo peculiari adſcribunt, ut exceptis parentibus & liberis,fratribus & ſororibus, alijs omnibus, datâ pecunia, nubendi inter ſe faciant poteſtatem. Itaque, non eſt

quod exiſtimes nos eorum veſtigijs inſiſtere, qui ad verbum Dei, tanquam ad normam reſpicimus, & qui in eo ſunt prohibiti, vel ſaltem tales nobis videntur gradus, à nullo homine permitti poſſe, ſive ſeculari, ſive Eccleſiaſtico, cenſemus. Exiſtimant illi leges matrimoniales in Levitico ſancitas, non omnes à naturæ lege profluxiſſe, nec eſſe omnibus hominibus communes. Nos contra iudicamus eſſe juris communis & perpetui, quia poſt talia enumerata & prohibita, addit legiſlator omnes abominationes iſtas feciſſe homines illius terræ, quæ ideo, Iſraelitis expoſita erat, unde polluta fuit. Quod certè iniquum fuiſſet ijs ad culpam imputari, qui lege illa non tenerentur. Fundamentum autem prohibitionis eſt *propinquitas carnis* duplex, vel ex generatione, unde conſanguinitas; vel ex conjugio à Deo innatuta inſtituto, etiam ex carnali copula extra conjugium legitimum. Propinquitatem illam in hoc caſu lex determinat tam in gradibus conſanguinitatis quam affinitatis; in illis tamen expreſsè, in his brevius agit, & primi tantum gradus in linea aſcendentium & deſcendentium; primi item in linea collateralium meminit: id eſt excludit privigni & novercæ conjugium, item fratrem & ſororem uxoris aut mariti prohibet copulari, Levitici XVIII. & XX. Quæſtio igitur ſupereſt ventilanda quandoquidem ut ipſe agnoſcis, inceſtæ ſunt nuptiæ filij cum ſorore patris &c

an

an tales etiam ſint in affinitatis vinculo, ſororis vel fratris affinis filiæ, cum eo qui circa eam patrui aut avunculi ex affinitate locum tenet. Id plerique Theologi cenſent ex analogia, & ratione honeſtatis. Ex analogia, quia cum vir & uxor facti fuerint una caro, ſequitur propinquos carnis viri, eſſe propinquos carnis uxoris, & vice verſa. Itaq; neptis uxoris ex fratre vel ſorore, fit neptis viri, cujus cohabitationem ideò cenſent prohibitam, ſub illa priore, ut ita dicam, fundamentali. Addunt rationem honeſtatis, propter gradum illum, in quo ſubſidiaria eſt quædam parentis & filiæ relatio, quia patruus aut avunculus affinis, à nepte illa velut alter parens coli debet propter inæqualitatem. Alij tamen exiſtimant, cum inter gradus affinitatis lex meminerit tantùm privigni & novercæ & contra, item uxoris fratris vel mariti ſororis &c. noluiſſe ulteriùs prohibitionem graduum affinitatis extendere. Ego non is ſum qui tantam poſſim componere litem, præſertim hoc tempore & loco, ijs deſtitutus adjumentis quæ neceſſaria eſſent, multis videlicet magiſtris. Fateor tamen & profiteor mihi veriorem & certiorem minuſque periculoſam eſſe partem negantem, ob allatas rationes, eamq; Eccleſiarum Gallicarum eſſe ſententiam certo novi. Memini aliquando in Synodo Nationali, cui interfui, actum fuiſſe de quodam Centurione Angerienſi, qui, Rege diſpenſante, duxerat filiam neptis uxoris ſuæ, in gradu proinde remotiori,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

qui propterea a ſacris fuerat prohibitus. Domi habeo ſententiam Synodi, quæ factum improbat, judicat tamen tolerandum eum, qui, ut loquitur Scriptura, in ſimplicitate cordis ſui, ſe huic conjugio implicuiſſet, quod melius fuiſſet infectum. Exiſtimarem ego in re nondum planè inter omnes definitâ, ubi ſententiæ adhuc variant, præſertim poſtquam magiſtratus indulſit, ſine veræ ſententiæ præiudicio, poſt factum, tales tolerari poſſe; & conſcientiæ ſuæ relinqui: ſed priuſquam id fiat, velim omni ratione præcaveri. Nec puto Academicos & Eccleſiaſtas Sedanenſes, ſuffragio ſuo unquam probaturos tales nuptias, aut valde fallor: ut etiam in eo quod innuis Zanchium eſſe in alia ſententia, quod ſi verum ſit, valde me fugit memoria, quę non eſt ab ejus lectione recens. Vellem ſuper eo amplius deliberare, & libros ejus atque aliorum conſulere; quod hic nec facere poſſum, nec vacaret. Ideo ad aliud tempus diſtuliſſem reſponſionem meam, niſi veritus fuiſſem, ne accuſarer deſerti vadimonij; quod non libenter facere potuiſſem, præſertim in tali & tam amicâ compellatione. Hoc igitur quantumvis ieiunum, & inter aulicum ſtrepitum conceptum, boni conſules, & me favore tuo, quo ſoleo gloriari, porrò beare perges. Vale. Arnhemij Geldrorum, Idibus Octob. CIↃ IↃ C XXXV.

DANIELI

DANIELI HEINSIO,

Equiti, Conſ. & Hiſtoriographo regni Suecici, & fœd. Belgicæ. &c.

IOH. BEVEROVICIVS S. D.

Τὶ πρῶτον, τὶ δ' ἔπειτα, & quibus verbis, Vir nobiliſſime, tibi gratias agam pro tam immenſa comitate, qua me nuper excepiſti. Dicebantur olim Platonis cœnæ etiam poſtridie delectare, at eruditionis tuæ condimenta æternum animo hærent. Verba Plinij, quæ tum, me citante, tanquam parum Pliniana mirabaris, ſunt hæc e libri VII. capite I. *Atque etiam eſt morbus aliquis per ſapientiam mori*, quæ quam egregia aliquot medicorum ingenia exercuerint, patet ex Obſervat. Humanis And. Schotti, lib. v. cap. x. Mercurialis, & Dalecampius de Phreneſi exponunt. Ac niſi diſpliceret hoc Scaligero, & tibi inuſitatus Plinio modus loquendi videretur, *morbus per ſapientiam* idem cenſeri poſſit, qui proxime ſequenti capite à Plinio *ſapientiæ ægritudo* dicitur: ubi eadem quoque ejus ſigna afferuntur, quæ Phreneſi adſcribit Hippocrates. Eſt qui voce trajecta legat, *Atque morbus eſt aliquis ſapientiam præmori*, quo etiam vocabulo uſus ſit author, de ſenectutis agens incommodis: *Membra torpent, præmoritur viſus* &c. Verum

quid ſi vulgaris lectio retineatur, & *per ſapientiam mori* exponatur mors ſapientiæ, eo modo, quo à Plinio dictum eſt lib. XIV. cap XXII. *rerum omnium oblivio, morſque memoriæ*? Sed ne ego ridiculus, qui non ἀσύμβολος eſſe malim, ubi clariſs. Schottus ſententiam pronuntiare refugit, Ænigmati huic Platonis numero obſcuriori Oedipo opus eſt, quem te præſtare poſſe doctrinæ, velle humaniti confidimus. Vale noſtrum, & ſeculi decus. Dordrechti XIII. Kal. Sextil. CIↃ IↃ XXXII.

EIDEM.

NObiliſſime Domine, Screvelium noſtrum hiſce ferijs vere feriari magis doleo, quod innatam tibi benignitatem ſua tarditate, veluti Saturni ſydere, afflavit. Eo ſane triſtior, quod ab alloquijs veſtris ſeſamo ac papavere urbanitatis ac doctrinæ conſperſis ſubito avulſus, in alium nunc terrarum orbem delatus mihi eſſe videor. Noſti apud quam paucos hic ſtet literarum reverentia; quorum penuriam egregie ſupplet illud Gratiarum, & Muſarum delicium, Catſius. Cum hoc è conventu procerum Bataviæ reverſo poſtquam ſermones noſtros, & quæ tu in exercitationibus annotaſſes tollendis hæreſibus communicaſſem, attulit locum ex Apoſtolo ad Hebræos cap. & verſ. IX. eumq; ex verſione Faukelij, Anabaptiſtarum antagoniſtæ. Græca ſunt: *Πίστει ϗ αὐτὴ Σάῤῥα δύναμιν εἰς καταβολὴν σπέρματος ἔλαβε, ϗ παρὰ καιρὸν*

ἐὸν τῆς ἡλικίας ἔτεκεν. Faukelius verterat *facultatem dandi ſeminis*,& in ſcholijs interpretatur de concipiendo ſemine Abrahæ; quod dicebam me mirari in illo, qui contra Anabaptiſtas, ex hoc loco Chriſtum carnem à diva virgine aſſumpſiſſe negantes, ſcripſiſſet, cum potius videatur καταβολὴ σπέρματος referenda ad emiſsionem ſeminis Saræ, licet provectioris ætatis. Hoc arriſit illi,& eo modo tolli judicavit Mennonitici erroris ex hoc loco patrocinium. Cauſſam ſibi eſſe addidit, cur ex te harum literarum promo condo certior de eo eſſe deſideraret: ægre tamen eo impulſore perſuadere mihi paſſus ſum, ut iterum ſcribendo moleſtus tibi eſſe auderem. Domum ab illo domum redux, video veterem interpretem, Eraſmum, Bezam, authores habere Faukelium, eoſdemque potius, quam Græcum textum, ſequutos, Gallos, Italos, Hiſpanos, Anglos novi fœderis interpretes. Beza in Annot. δύναμιν εἰς καταβολὴν σπέρματος exponit *vim ad concipiendum ſemen, vel ad emittendum.* Ille prius probat, ego poſterius. Veretur ſcilicet contra Ariſtotelis doctrinam prolificum ſemen mulieri tribuere, quod mihi è rationibus medicis, meridiana luce clarius.

Eſt veſtrum inter nos tantas componere lites.

Addam de loco Pliniano,& ampliſſimi Catſij conjecturam,ut *per ſapientiam mori*,ſit per nimiam ſapientiam,& ita mortuum adoleſcentem Ambrociotam Cleombrotum(memoratum Ciceroni in Tuſculaniis)cum

cui cum nihil accidiſſet adverſi, è muro ſe in mare abjecit, lecto Platonis libro de animorum immortalitate. Hanc ego inſanientem ſapientiam cum Horatio tuo dixerim, & præſtare putarim cum ſtolido Cæſare inter vivos morari, quam tam morosè per ſanitatem mori. Vale, & me amare perge,

Divine vates, ſeculi ſtupor noſtri.

Dordrechti XVII. kal. Sept. CIↃ IↃ C XXXLI.

IOHANNI BEVEROVICIO,

Senatori, & Medico Dordrechtano,

DANIEL HEINSIVS. S. D.

CLariſſime, & Ampliſſime vir, Dabis veniam quod abſens hactenus, aut cum amicis alibi diſtractus, ſerius, quam æquum erat ad utraſque tuas nunc reſpondeo. Feſtiviſſimi, videlicet, Screvelij iudicium ſequutus, qui inprimis, ſapientibus cavendum cenſet, ne improvidis aut domi deſidentibus, anguſtum, niſi totum occupetur, feriarum tempus elabatur. Ad locum Plinij quod attinet, ne nunc quidem capio, quid velint, qui phreneſin deſignari arbitrantur. Videatur mens autoris, totum caput diligenter expendatur, & quod locum hic vel primum habet, de ἀκολουθείᾳ ſingulorum cogitetur, nihil tale autori hic propo-

ſitum

Digitized by Google

ſitum fuiſſe, liquido patebit. Vt dicendi genus taceam, quod nemo ita uſurpavit. Per curam mori dicitur, quem cura enecat, per ferrum, qui ſic tollitur, per febrim, qui ſic interit. Eodem modo per calorem, qui ardore febris tollitur, per frigus, quem diverſa occupat aut tollit. Neque aliter profectò Taciti ac Plinii ætate quiſquam loquebatur. Quare, ſi, ut calor febri tribuitur aut frigus, ita ſapientia tribuitur phreneſi, nihil obſtat quo minus, qui per phreneſin moritur *per ſapientiam extingui* Plinio dicatur. Quod ſi in hoc morbo maximè διάνοια καὶ νοῦς laborat, ſi hic propriè, τὸ παραχθῆναι, τὸ παραληρῆσαι, τὸ παραφρονῆσαι, καὶ τό παρακόψαι locum habeat; nondum video, qua ratione, mori per ſapientiam dicatur, quem natura ſic extinguit. Quæ ut ſæpe in morbis variat ac ludit, ita nunquam magis ſibi conſtat, nunquam ipſa ſeſe ſuis ſibi legibus adſtringit, quam cum morbos περιοδικῶς inducit. Qui ὡς ἐπὶ πεπηγμένου χρόνου (ita enim veteres loquuntur) redeunt, ac iuſſum à naturâ ordinem tuentur. Quem non modo in corporibus, ſed ipſis quoque membris, certâ quadam lege obſervari autor graviſſimus hic docet. *At, hercule, reliquis omnibus, per ſingulas membrorum partes, qualiter nullis aliis animalibus, certis peſtifer calor remeat horis aut rigor, neque horis modo, ſed & diebus noctibuſque trinis quadriniſve, etiam anno toto.* Quid hæc ad phreneſin? Cæterum quemadmodum quod ſequitur ex his

dependet

dependet; ita quod obſcurius, &, ut tum mos erat, γρίφως autor dixit, ipſe interpretatur. Poſtquam enim de periodis, ut certis, & ex arte quaſi πεπηγμέναις, quanquam non ijſdem tempore ac partibus affectis, egit, ἐπιφωνηματικῶς ſubjuugit, *Atque etiam morbus eſt aliquis, per ſapientiam mori.* Et vide quid ſequatur: *Morbis enim quoque quaſdam quaſi leges, natura poſuit.* Quid τὸ *enim* ad phreneſin, ſi de hac non egit? Aut quid aliud nunc agit, quam ut quod intelligebat, dictum à ſe ἀσαφέστερον, & more ævi, obiter interpretetur? Quid ſit ſapientia hoc loco non viderunt eruditi. Vnde error omnis & digladiatio. Quam vocem Plinij ætate caſui, καὶ τοῖς παρὰ τάξιν γινομένοις opponebant. Vt cum Tacitus dixit, In ſapientiam vertenda quæ caſus obtulit· Nihil tam eſt ἄτακτον quam caſus; *Caſu quæ fiunt, ordinem non habent*, inquit Averroës. Ne Hebræis quidem quicquam tam uſitatum eſt, quam ut ſapientia, pro certo ordine ponatur. Vnde fit ut τὸ *CHOCHNAH* καὶ τὸ *KEDI* ſemper opponatur. Alterum quippe, ex ſe definitum, alterum τὸ ἄτακτον deſignat. Mori ergo dicitur per ſapientiam, qui ordine, καὶ οὐκ ἀτάκτως, & cum quodam artificio naturæ moritur. Quale artificium ac τάξις ἐν ταῖς περιόδοις. *Sapientia*, quod ἁπλῶς ex more ſæculi nunc dicitur, eſt, ſapientia naturæ: ſive ordo quidam definitus. Ipſe Plinius, ne

dubitemus

dubitemus, ordinem hunc, *legem* dixit. *Morbis enim quoque quaſdam leges natura poſuit.* Per ſapientiam mori, eſt οὐκ ἄνευ τάξεως θανεῖν. Quod Plinius voluit, Græci tui dicerent, ὥςε ἤδη καὶ νόσον τινὰ εἶναι, τὸ μὴ ἀτάκτως θανεῖν. aut etiam urbanius, τὸ μὴ ἀμεθόδως θανεῖν. Nam quemadmodum medici proprium eſt, εὐμεθόδως ἤγουν τεχνικῶς ἰατρεύειν, quod eſt Plinio, ſapienter, ſeu, per ſapientiam curare: ita & natura invenit, quomodo quis per ſapientiam, & quaſi artificio, extingueretur. Quod genium illius ævi ſpirat, quem non ſatis eruditi penetrarunt. De loco ad Hebræos dubitare noli. Neque ego dubitavi unquam. Locus planus eſt ac manifeſtus. Adeò quidem, ut hic magis Anabaptiſtarum φρενῖτιν, quam in loco Plinij, inveniam, cum ſcriptura ſacra σπέρματος καταβολὴν tam manifeſtè, omnium credentium parenti Saræ tribuat, quam Senex veſter fœminis hanc omnibus adjudicavit. Nec miraculum ex eo, ὅτι σπέρμα κατέβαλε, quod omnibus commune, ἀλλ᾽ ὅτι παρὰ δύναμιν, ὅτι παρὰ καιρὸν ἡλικίας. Et hoc Apoſtolus notavit. Volebam quidem plura: ſed jam tabellarius inſtabat. Et pudebat ſcriptionis hactenus dilatæ. Quam ſic properavi, ut vix relegendi mea, ipſe mihi ſpatium conceſſerim. Quare hæc ἄτακτα & fortaſſe οὐκ ἀσόλοικα excuſa. Inprimis vero, quantum potes, viro ſummo Caſio

ut

ut me commendes, rogo, quem vix dici poteſt, quantum æſtimem ac colam. A te ſi hoc impetrare poſſum, ut & immerentem & propemodum intemperanter ſtudioſum tui ac obſervantiſſimum, vel modicè ames, bene mecum agi arbitrabor. Vale, & negligentiæ nunc noſtræ ignoſce. Lugd. Bat. An. CIↃ IↃ XXXII: Aug. XX.

BALTHASARI LYDIO,

Theologo Dordrechtano.

IOH. BEVEROVICIVS, S. D.

S. P. D.

Clariſſime vir, Cum nuper fortè incideremus in locum Moſis Deuteron. XXII. de cruentato ſponſârum linteo, mirabaris me negantem id fieri rupto prima acerrimaque coitione hymene; neque minus, cum adderem, ſanguinis illam effuſionem incertum eſſe ac fallax Virginitatis inditium. Quare volebas, ut quid hac de re *τῶν ἰατρῶν παῖδες* ſentirent, fuſiori demonſtrandi via ad te conſcriberem. Quam provinciam equidem pro familiari noſtra amicitia lubens, & *μήδ' ἀναβαλλόμενος*, ut vides, ſuſcepi. Et quoniam diu multumque certatum eſt de certis Virginitatis ſignis, ſigillatim unumquodque excutiam, & appenſa veritatis trutina examinabo.

Ludovicus

Ludovicus Bonaciolus, medicus Ferrarienſis in Enneade muliebri cap. III. ſigna quædam pro ponit, tanquam certiſſima, quorum primum tale eſt. *Virginibus*, inquit, *pellucidum ac tenue lotium, ſubſtrepitu perinde ac acutiſſimo ſibilo longius excutitur*: ob anguſtiam ſcilicet ſphincteris. Sed fallax tale ſignum eſſe liquet, cum etiam mulieribus convenire poſſit. Neque etiam neceſſe eſt, urinas Virginum ſemper eſſe tenues & pellucidas: & eas emittere cum ſibilo, & ad diſtantia loca dependet à robore facultatis expultricis. Anguſtia quidem aliquantulum iuvare poteſt, ſed ea etiam conſervatur in defloratis: neque enim veſica aperitur, aut os eius dilatatur, quando nuptiæ fiunt. Cum igitur alia ſit via partis, qua urina continetur & eijcitur, alia eius, quæ procreationi inſervit, à modo reddendi urinam, nec ab ejus ſubſtantia, de vitio virgini illato nullum capi poteſt ſignum. Fruſtra igitur non minus alij, qui perturbatam & craſſam urinam in Virgine requirunt. Tantum enim abeſt, ut Virginitas ex urina diiudicari queat, ut ne conceptus quidem poſſit, quemadmodum præceptor olim meus Patavij benemeritus D. Sanctorius doctiſsimè demonſtrat I. de Error. Medic. XXVIII. quia quicquid urinæ à partibus, è quibus diſcedit, imprimitur, longo tractu confunditur & offuſcatur. Pergit Bonaciolus, *Gagates ſuffitus, odoris ſpiramento aures nareſque non attingente, & potus, ſi præſentem mictum non cieat, Virginitatem eximiè*

deprehendit

deprehendit. Sed nec hoc priore verius. Neque enim odor per uterum, & reliquum corpus ad odoratus inſtrumenta accedere poteſt, ſed tantum per vehiculum externi aëris: adde quod nulla vis in gagate ciendi urinam, ſive aſſumatur ejus pulvis, ſive attrahatur odor. Addit tertium ſignum,

Magnetem ſi obdormientis Virginis, aut mulieris capiti ſupponas, corruptarum impudicitiam deprehendes, cum præ nimio ſimulacrorum pavore excidant è thoro; & aliarum integritatem, cum ad mariti complexum impellat. Sed hoc cum rationi & ſenſui repugnet, ſponte cadit, neq; verbis ad refutationem eget.

Volunt alij, *Papillas, quæ in Virgine fragorum inſtar grato rubore florent, pollui quodammodo, eumque colorem amittere*,

Cum caſtum amiſit polluto corpore florem.

Sed fallaciſſimum eſt hoc ſignum, cum ea coloris mutatio & Virginibus accidere poſſit, nondum, ut cum Petronio dicam, muliebris patientiæ legem paſſis, veluti in cachecticis & valetudinarijs obſervare eſt. Et rubicundus ille color papillarum non modo in Virginibus, ſed etiam in Mulieribus reperitur; cum ſignum hoc ſequatur potius conſtitutionem ſanitatis, quam Virginitatis.

Vidi qui *ex erubeſcentia & verecundia, quæ in facie ac oculis modeſtiorum puellarum apparet, elicere voluerunt illibatæ virginitatis teſtimonium*. Erubuit, ſalva

ſalva res eſt. In hanc rem leguntur verſus Æſchyli apud Antigonum Caryſtium cap. CXXVII. ex fabula τοξότισιν. In illis quidam ait intactas virgines, à puellis, quæ primos toros paſſæ ſunt, dignoſcere ſe probe ſcire. Virginum quippe oculos modeſtia deijci, pene immobiles. Verba ex emendatione magni Salmaſij ita legenda,

Αδην γὰρ ἀγναῖς παρθένοις γαμηλίων
Λέκτρων, ἀτρέπτη βλεμμάτων ῥέπει βολή.

At ejus puellæ, quæ de viro guſtaverit, oculos vibrantes & flagrantes indicium ejus rei facere.

ὐ μὲ μὴ λάθη φλέγων
Ὀφθαλμὸς, ἥτις ἀνδρὸς ᾖ γεγευμένη.

Sed æquivocum eſſe hoc ſignum mores puellarum, in quibus magna differentia, ſatis indicant. Verſipelle omne hoc genus, fingere & refingere vultum egregie doctum. Ariſtoph. Concion.

Αὐταὶ γάρ εἰσιν ἐξαπατᾶν εἰθισμέναι.
Ipſæ enim ſunt decipere conſuetæ.

Et ſimulare norunt pudorem jam diu cum virginitate amiſſum. Vidi, quibus oculi & vultus planè ad modeſtiam & pudorem compoſitus, prurientes ab imis unguiculis.

Crede ratem ventis, nimium ne crede puellis,
Namque eſt fœminea tutior unda fide.

Affertur & hoc: *Si colli rotunditas menſuretur cum filo, ac deinde idem filum ab extremo menti ad ſummum verticis extendatur, & menſura fuerit æqualis, Virginitatem indicat: vitium, ſi inæqualis.* Sane colli commenſura-

menſurationem, qua poſtridie nuptiarum puellam integram vel corruptam eſſe cognoſcebant, veteribus familiarem fuiſſe patet ex hiſce Catulli verſibus,

Non illam genitrix orienti luce reviſens,
Heſterno poterit collum circumdare filo.

Ratio additur, quod ſtatim à coitu collum intumeſcat, & vaſa voci dicata dilatentur, unde ea aſperior (teſte Ariſt.) & minus acuta; quare qui vocem conſervare ſtudeant, ijs à coitu abſtinendum eſſe, ut & Martialis innuit,

Cantaſti male, tum fututa es AEgle,
Iam cantas bene, baſianda non es.

Mercurialis præl. in Hipp. de victu acutor. quærit, Cur in amiſſæ virginitatis ſuſpitione veteres argumentum ex collo ſumebant? *Quia*, reſpondet, *in coitu maxime compatiuntur ſpiritus vitales*, (cur non naturales?) *ut dilatatis vaſis, hoc ſit ſignum habitum olim.* Verum fallacitatem iſtiûs ſigni experientia demonſtrat. Pubertas enim per ſe ob ætatis mutationem collum inflat, & mutationem vocis infert, cum juvenes τραγᾶν, hircire incipiunt. At certum eſt, non ſolum ante pubertatem, ſed etiam poſt, Virginitatem integram remanere poſſe. Quin & ridicula videtur ea colli & menti ac verticis menſura, cum inter illa nulla ſit ſympathia aut communicatio.

Non minus ridiculum eſt hoc aliorum; *Extremitatem ſcilicet naſi ſeparari per foſſiculam, & maniſeſtè*

feſtè

Digitized by Google

ſeſtè dividi cartilagines, ſtatim atque puellæ & adoleſcentes devirginantur. Abſurdum eſſe ſenſus demonſtrat, cum diviſio ſemper appareat manifeſta, licet evidentius dum ſicciora fiunt corpora, accedente pubertate.

Sunt plura ejuſdem farinæ, quale quod dicunt, *drachmam unam ligni Aloes in pulverem redactam & propinatam, Virginibus ſtatim urinam movere, non alijs.* Item, *Folia Lapathi magni contuſa, ſi prunis admoveantur, & odor attractus pallorem non inferat, & mictionem non proritet, Virginem non eſſe.* Sed falſa hæc, & vix refutatione digna; cum inter virginitatem & vaſa urinaria, nullum ſit commercium, quod ſufficiat ad judicandum de illius integritate, aut corruptione.

Quintilianus lib. v. Orat. Iuſt. ix. ſignum neceſſarium putat eſſe corruptæ virginitatis, *ſi lac appareat in mammis.* Vnde vulgares Logici concluſiones ſuas hauſerunt : *Lac habet, ergo peperit, aut ſaltem cum viro rem habuit.* Sic Varro apud Nonimu : *Candido lacte papilla cum fluit, ſignum putant partus, quod hic ſequatur mulierem è partu liquor.* Sed ſignum hoc probabile tantum, non verò neceſſarium eſſe experientia & ratio docent. Quemadmodum enim, ut dicam verbis Phavorini apud Agell. lib. xii. cap. i. ſanguis inſtante partus tempore, in ſupernas ſe partes profert, ibique à ſpiritu multo & calore mammarum exalbeſcit : ita fieri poteſt, teſte Galeno, Comm. in v. Aph. xxxix.

ut per deſtinatas à natura vias ſanguis reſtagnans, ad ſuperiora regurgitet, & ab eadem cauſſa efficiente eandem ſortiatur formam. Scribit Cardanus ſe hominem vidiſſe annos natum XXXIV. ex cujus mammis tantum lactis profluebat, ut infantem fere alere poſſet. Idem antea Ariſtoteles, Avicenna, & Albertus teſtati ſunt. Andr. Laurentius, accuratiſſimus Anatomicus lib. IX. quæſt. II. controverſiam diſtinctione conciliare ſtudet, dum Lac rerum & laudabile non niſi poſt veram conceptionem generari poſſe contendit, at non verum, nec exquiſitè coctum in puellis grandioribus, ſanguineiſque, & viris copioſiſſimo ſucco refertis generari concedit. Sèd, ut ſuo ſibî hunc jugulem gladio, Vbi materialis cauſſa præſens eſt, adeſtque efficientis robur, quid lactis generationem impediet? At virginibus grandioribus in thoracis venis, quæ mammas irrigant, ſanguinis adeſt copia, nec non glandularum ſanguinem alterantium & excoquentium robur. Peterit ergo in illis aliquando lac generari, maximè ſi ſupprimantur menſes, ut ſcripſit Hipp. Aph. cit. Ἤν γύνη μὴ κύουσα, μηδὲ τετοκυῖα γάλα ἔχῃ, ταύτα τὴ καταμήνια ἐκλέλοιπε. *Si mulier, quæ neque gravida eſt, neque peperit, lac habet, ei menſtrua defecerunt.* Quod autem dixit Laurentius, ideo verum lac ante conceptionem generari non poſſe, quia nullus foret illius uſus; Reſpondeo multa fieri ex neceſſitate naturæ, quæ non fiunt ex ejus intentione, ut docet Ariſt. lib. II. Phys.

Phyſ.cap. ult. & I. Anal. poſt. text. XLIX. & LIII.

Spigelius lib I. de humani corporis fabrica cap. VII. teſtatur inter fœminas, virgines fere graciliores eſſe, quia poſt congreſſum craſſiores evadunt, venis univerſi corporis, in complexu Venereo, exagitato à calore, dilatatis, id quod ſpatio vel unius diei poſt coitum ſtatim adverti poſſe. Sed quam fallax hoc etiam ſignum ſit, monſtrant tot fœminæ graciles, & virgines habitiores.

Manifeſtum nunc eſſe arbitror, quam notæ omnes, quas hactenus attuli, tenui fulciantur tibicine. Quamobrem ipſum Virginitatis florem inveſtigantes, à collo & papillis ad genitalia deſcendamus. In his mirificè ingenioſas animadverto obſtetrices, & ex diverſis licet regionibus eadem quaſi de compacto obſervare Virginitatis indicia. Inter quæ familiam ducit tantopere veteribus atque recentioribus decantatus *Hymen*, membrana, ut volunt, venulis conſperſa, quam primo coitu tauri in venerem ruentis impetus non abſq; dolore & ſanguine laceret ac diſrumpat. Hinc illæ lachrymæ. Sed quas, ſi aliter non poſſis, facile Terentiana conſolatione abſterſeris,

Prima coitio acerrima eſt, eam ſi ſuſtinueris, poſtea ludas licet.

Membranam hanc vetus poëta Nævius Eugium vocavit, *Sine eugio*, inquit, *puellam invenit*, de ea, cujus pudicitiæ vitium allatum erat. *Eugium*, ait Nonius, *eſt pars media inter naturalia muliebria*, citat-

que Laberium, *Quare tam arduum aſcendis, an concupiſcis eugium ſcindere?* Verum uſitatius communi membranarum nomine, κατ' ἐξοχὴν forte, ὑμὴν appellari conſuevit, quod neque Deus ille dedignatus eſt, qui in nuptijs huic parti præeſſe putabatur, & cujus opem, velut in partu Iunonis Lucinæ, ὅταν ἐν ἔργῳ ἦσαν, ut loquitur Lucianus, invocare ſolent, ut ſcilicet membrana hæc ἀνωδύνως pertundatur. O medicina gravis! Ne vero, dum aliquando bonus Hymen virginum oblitus cum Iove comeſſatum iret μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας, miſellæ (quod ſex hebdomadas uxorculæ ſuæ planè bene peculiatus nuper contigiſſe narrabat) interea acerrimæ coitionis punčturis miſerè torquerentur, veneranda Dearum majeſtas è ſuo ſexu ei ſuccedaneam ſubdidit, quam non à parte, cum Hymen eam occupaſſet, ſed ab opere *Pertundam* appellare placuit, *iuſſam præſto eſſe in cubiculis* (ſcribente lib IV. adverſus Gentes Arnobio) *virginalem ſcrobem effodientibus maritis*. Noſtri genus, & officium, Hymenæi nomine, quo etiam gaudet, deſcribitur à Claudiano hiſce verſibus,

Quem Muſa genitum legit Cytherea, ducemque
Præfecit thalamis: nullum vinxiſſe cubile
Hoc ſine, nec primas fas eſt attollere tedas.

Vtraque appellatio ſæpius conjungitur, ut apud Ariſtoph. Avib.

Ὑμὴν, ὦ ὑμέναι' ὦ ὑμήν.

Et elegans ejus geminatio apud Catullum:

Quis

Quis deus magis, ah magis
Eſt petendus amantibus,
Quem colant homines magis,
Cœlitum ? ô Hymenæe Hymen
Hymen ô Hymenæe.
Te ſuis tremulus parens
Invocat, tibi virgines
Zonula ſolvunt ſinus:
Te tumens cupida novos
Captat aure maritus.

Vbi *Zonulum*, ut alibi *zonam*, & *zonam virgineam* pro clauſtro hoc ſeu interſepto virginali quidam accipiunt, veluti & Græcorum ζώνην & ζώνην παρθενίην. Sic apud Homer. Hymno in Venerem Λῦσε δὲ οἱ ζώνην. & Plutarch. in vita Lycurgi, ἔλυε τὴν ζώνην ὁ νύμφιος. Idem Homer. Il. λ. Λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην, ἀντι τοῦ διεπαρθένευσεν, ut eſt in Gloſſis. ἀπὸ δὲ τοῦ προηγουμένου (ait Plutarch. in vita Homeri) τὸ ἀκόλουθον ἀκολουθεῖ γὰρ τούτῳ τὸ διεκόρευσεν. Pro eo Theocr. Idyll. 10. λῦσε δέ σοι μίτρην, ut & Muſæus dixere. Idem στρόφον vocavit Æſchylus Sept. ad port. teſte ſcholiaſte loco jam ponendo. Quod ἅμμα κορείας & παρθενίης appellatur in Anthologiâ Epigrammatum, ita ut Synonyma ſint λύειν ἅμματα παρθενίης ſeu διατέμνειν ἅμμα κορείας cum λύειν ζώνην, ἢ μίτρην, ἢ στρόφον, & apud Latinos zonam ſolvere. Quo præter Catullum uſus Varro apud Auguſtin. 4. de civ. D. 11. *Virgini uxori zona ſolvitur*. Pro quo γεροντοδιδασκάλῳ

Cingulum dixit, *Novus maritus tacitus taxim uxoris ſolvebat cingulum* Claudian. in nupt. Honorij & Marię. *Et ſeminudo pectore cingulum Forti negatum ſolveret Herculi.* Quod Laberius dicebat *cugium ſcindere.* Sic ſanè ſolutam virginis zonam pro hymene rupto & violato quidam interpretantur hoc Catulli, quo meretrix de amaſio ſuo conqueritur, epigrammate LXVIII.

Languidior tenerâ cui pendens ſicula betâ,
Nunquam ſe mediam ſuſtulit ad tunicam.

Subjungit poëta.

Et quærendum aliunde foret nervoſius illud,
Quod poſſet zonam ſolvere virgineam.

Alij tamen, inter quos Muretus, hæc exponunt de zona ſeu cingulo, cujus mentio fit apud Feſtum, ex lana ovis, quo nova nupta præcingebatur. Hoc Herculano nodo vinctum vir in lecto ſolvebat, ominis gratia, ut ſic fœlix eſſet in ſuſcipiendis liberis, atque Hercules fuit, qui ſeptuaginta reliquit. Quod clarè explicat Scholiaſtes in Æſchyl. ut τὼ δυσαδελφόταται πασῶν ὁπόσαι ςρόφον ἐσθῆσι περιβάλλονται πασῶν παρθένων, inquit, αἱ μίτραν κατὰ τὴν φθορὰν λύονται ἀντὶ δὲ τῆς μίτρας ᾗ ζώνης νῦν ςρόφον εἶπεν. Quæ Philologorum ſententia mihi ſit veriſimilior, eamque fortè poſſim corroborare verbis Phyllidis ad Demophoontem,

Cua mea virginitas avibus libata ſiniſtris,
Caſtaque fallaci zona recincta manu.

Quo ſenſu etiam accipio illud ejuſdem Naſonis

nis XII. Met. *Ecce canunt Hymenæon* (I. γαμήλιον ᾆσμα Polluci & Donato, quod & pro ipſis nuptijs Maroni, & alijs ponitur)

& ignibus atria fumant
Cinctaque adeſt virgo.

Hunc loquendi modum apud Græcos etiam invenio de primum parientibus, quæ zonam ſolvere, & apud Dianæ deponere dicuntur. Teſtis Apollonij Scholiaſtes, qui ad hunc locum, Argon. ᾧ ἐπὶ μύνῳ

Μίτρην πρῶτον ἔλυσα κὴ ὕςατον, hæc annotavit: λύουσι τὰς ζώνας πρώτως τίκτουσαι, κὴ ἀνατιθέασιν, Ἀρτέμιδι ὅθεν κὴ λυσιζώνης Ἀρτέμιδος ἱερὸν ἐν Ἀθήναις. Quem locum neſcio cur ſollicitet Scaliger, & pro πρ. τίκτουσαι legat διεπαρθενευθεῖσαι; cum & Callimacho hymno εἰς Δῆλον, λύειν ζώνην parere ſignificet, & lib. III. Epigr. de muliere ob miram fœcunditatem valdè celebri hæc legantur,

Ἁ δ' ἐγὼ ἡ περίβωτος ὑπὸ πλακὶ τῇδε πέθαμμαι,
Μούνῳ ἐνὶ ζώναν ἀνέρι λυσαμένη.

Et Euadnen depoſitâ zona infantem peperiſſe canit Pindar. Olymp. od. VI. ἁ δὲ φορμιόκροκον ζώναν καταθηκαμένα &c. τίκτε θεόφρονα κοῦρον.

Et hæc nimis multa fortaſſe, niſi te ſcirem, Vir clariſsime, gravioribus ſtudijs & negotijs defeſſum, quaſi colligendi tui cauſſâ, lubenter quandoque in Philologicis campis expatiari. Ad Hymenem igitur reverſi, quod de membrana nomen ipſum, & veterum fert opinio, probat

probat univerſa Arabum familia & recentiorum neque pauci, neque imi ſubſellii Medici: quorum tamen alii nerveam, alii carneam, alii craſſam, alii tenuem, eamque nonnulli cribri modo, quidam in initio ſolum tranſverſim perforatam: alii in extremitate, alii in colli uterini medio ſitam, alii geminam canali urinæ ſubjectam eſſe ſtatuunt. Quinetiam obſtetrices hujus membranæ (quam in Italia *la telletta*, in Galliâ *la dame du milieu* vulgò appellant) integræ vel ruptæ argumento de virginitate judicare non dubitant, uti fuſius videre eſt apud Ioubertum,libello eleganti,quem Gallicè conſcripſit de erroribus vulgi. Membranam hanc ſcribit Veſalius, diductis cruribus conſpici, quam tamen diligentiſſimi Anatomici invenire non potuerunt, Aëtius in quibuſdam reperiri ſcribit, ſed eam conſtitutionem morboſam eſſe veluti quas Græci ἀτρήτας dicunt: & ſic concreto genitali genitamCorneliamGracchorum matrem author eſt Plinius l.VII.c.XVI. Cujus affectus memini Hipp.71.de morb.mul.18.Ἢν γονὴν μὴ δέχηται ἡ γυνὴ τῶν γυναικείων κατὰ φύσιν ἐρχομένων ἡ μήνιγξ ἔμπροσθεν ἔστι. *Si mulier, genituram non recipiat menſibus ſecundum naturam euntibus, membrana prætenditur.* Deinde modum eam tollendi addit. Talem quoq; curationem affert Aquapendeus 1.Curat. Chirurg. LXXXII. Cum tanta lis ſit inter artis Medicæ proceres,liquetquantum fidei habendum ſit obſtetricibus, quæ ex huiuſmodi ſignis tanquam

quam è tripode de Virginitate vaticinantur. Refert Lucius Marineus l. XII. de Reb. Hiſpaniæ, Ioannem Aragonum & Siciliæ Regem, iam octuagenarium, puellam forma præſtantem adamaſſe. Verum cum hac, inquit, oſculis duntaxat contentus, amoris opus non perfecit. Igitur nec virginitas ejus libata, ſed illud modo,

Quod poterat ſalva virginitate rapi.

Nam poſtea, quum puella nupſiſſet ſponſo, à quo die nuptiarum Virginitatis munera poſcebat, ſe quidem non violatam eſſe multarum mulierum teſtimonio probavit. Hebræos etiam ſolitos Virginitatem explorare per obſtetrices ex narratione Suidæ patet in explicatione nominis Ieſu, ubi ablegatas ſcribit mulieres ad inſpiciendam B. Mariam, utrum ſine congreſſu viri, & illæſa virginitate concepiſſet. Verum ubi nihil eſt, quod inſpicere poſſint, nec ipſæ quid inſpici oporteat intelligant, fruſtra earum opera hic utimur. Rectè Cyprianus lib. I. Epiſt. XI. *Nec aliqua putet*, inquit, *ſe poſſe hac excuſatione defendi, quod inſpici & probari poſſit an virgo ſit: cum & manus obſtetricum & oculi ſæpe fallantur.* Et Ambroſius lib. VIII. Epiſt. LXIV. Syagrium Epiſcopum, qui examen ejuſmodi fieri juſſerat, acriter reprehendit. *Quid quod*, inquit, *etiam ipſi archiatri dicunt non ſatis liquido comprehendi inſpectionis fidem, & ipſis medicinæ vetuſtis doctoribus id ſententiæ fuiſſe? Nos quoque uſu hoc cognovimus ſæpè inter obſtetrices obortam varietatem, &*

quæſtionem

quæſtionem excitatam, ut plus diſputatum ſit de ea, quæ inſpiciendam ſe præbuerit, quam de ea, quæ non fuerat inſpecta: Clariſſimus quoque Iuriſconſultus, Cuiacius XXVII. nunquam hujus rei arbitrium jure civili delatum affirmat obſtetricibus cujus aſſertionem probat Alb. Gentilis VII. de Nuptiis IX.

Alii igitur omiſſo Hymene, membrana, ut exiſtimant, præter naturam in nonnullis quandoque nata, potius cenſent *cervicis uterini latera nondum venerem expertis duntaxat quaſi conglutinata conniverus, quæ primus concubite magna ex parte divellat*. Et hæc eſt ſententia elegantiſſimi medicorum Fernelii, eamque probant doctiſſimi philoſophi & medici Valbeſius, atque Augenius, neque diſcrepant multum Soranus & Almanſor veteres medici. Et ſumpta videtur ex Galeno lib. de vivorum anatomia, cap. de utero, ubi ſcribit, in prima defloratione collum matricis dilatari. Sed hanc dilatationem fallax eſſe deflorationis argumentum ex eo patet quod fallaciores puellæ ſibi eam aptis digito, vel aliquo inſtrumento formam penis referente nonnunquam procurent; quod etiam de inveſtigatione obſtetricum monet Auguſtinus. lib. I. de civit. Dei cap. XXVIII. *Obſtetrix* (ait) *virginis cuiuſdam integritatem manu velut explorans, ſive malevolentia ſive inſcitia, dum inſpicit, perdidit*. Sed ne amplitudinem ſemper vitio vertamus, poteſt quoque in nonnullis naturaliter, collum uteri amplum eſſe. Notatu dignum eſt,

quod

quod refert Spigelius lib. v. de humani corporis fabrica. cap. VIII. *Quo tempore*, inquit, *menſes, inſtant, uteri os hare, aliquoties, dum ulcera pudendi, ac cervicis uterinæ curavimus, obſervatum à nobis eſt, & viſum. Vidi etiam tunc madore quodam foetido relaxari haſce partes & cervicem ampliorem multo, quam eſſe ſolebat alias, comparuiſſe. Quamobrem mirum nemini videatur, quod à nonnullis noſtræ ætatis ſcriptoribus obſervatum eſt, tempore menſium uſque adeo laxatas nonnullis fuiſſe has partes, ut ſponſæ quantumvis virgines revera eſſent, propterea in ius vocatæ ac pro deploratis habitæ fuerint. Quare ſi contingat, ut noviter coniugium ingreſſi, de ſuarum virginitate dubitent, quod vulvam ad ea laxam invenerint, conſiderare oportebit, an menſes eo tempore inſtiterint.* Poteſt etiam, collum uteri, quando à coitu dilatatum eſt, medicamentis adſtringentibus rurſus coarctari. Hujus facultatis fortaſſe fuit fons ille apuud Argivos, in quo Iuno cum quotannis lavaret, denuo virgo fiebat, ut legere eſt apud Pauſaniam lib. II. Sic & Canoniſtæ referunt mulieres quaſdam repertas fuiſſe, quæ ſecretiores partes ſuas adeò arctas medicamentis effecerant, ut ne quidem coiri cum illis poſſet. Vt non difficile fuerit puellę cuidam, narrante Balſaco in Epiſt. Gallicis, in aula vende, requod in ſchola perdiderat. Quales merces Italis arctiora ſectari ſolitis frequenter obtradentur. Et fraus facile occultatur, cum Medici, & fuſiſſime inter eas Bayrus l.v. med. humani corporis malis cap. ult. medicamenta ejus

ta ejus modi deſcribat. Mercatus etiam doceat lib. IV. de mulier affert. XIV. à partu virginalem aſtrictionem comparare. Et ne quid fraudi deſit; ſi forte juvenculæ dolorem ſimulare voluptate obliviſcantur, & hic additur. Neſcio apud quem ſcriptorem Gallicum olim legerim, matrem lenam, ut raptæ virginitatis præmia obtineret, in filiæ, aliquoties ſtuprum paſſæ, genitalibus ranunculo herba veſiculas excitaſſe, unde illa in coitu non fictos dolores paſſa pro fictæ virginitatis ſpolio ingens pretium reportaverit.

Doli non doli ſunt, niſi aſtu celas.

Hinc rectè celeberrimus Anatomicus Severinus Pinæus, qui cum Lutetiæ hac de re loquutus ſum, poſteriores duas opiniones Medicis maxime probabiles vanitatis arguit, & Hymenem non membranam unam, ſed quatuor eſſe ſtatuit, cum quatuor carunculis myrtiformibus (quæ abſque ulla ſectione in ſenioribus conſpicuæ) ita coeuntes, ut violento concubitu & atterantur carunculæ, & lacerentur membranulæ, effluatque ſanguis. Coitum hunc caruncularum & membranarum Florem virgineum vocat, quid caryophyllo flori nondum plane explicato ſit perſimilis. Huc trahi poſſet illud Catulli:

Vt flos in ſeptis ſecretus naſcitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contuſus aratro;
Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat imber,
Multi illum pueri, multæ optavere puellæ.

Idem

Idem cum tenui carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullæ optavere puellæ.
Sic virgo dum intacta manet, tum chara ſuis: ſed
Cum caſtum amiſit polluto corpore florem,
Nec pueris iucunda manet, nec chara puellis.

Doctiſſimo Pinæo adſtipulantur H. Corbeus, &, quem Monſpelii olim audivi docentem, Fr. Ranchinus, Academiæ cancellarius, nec non humani corporis diligentiſſimi perquiſitores And. Laurentius, &, quondam Baſileæ mihi amiciſſimus, Caſp. Bauhinus, quos, poſteriores fere ſequuntur Anatomici, niſi Spigelium excipias, qui carunculas has, & hymenem ipſum admittit.

Eſt igitur omnis illa de membrana cervicem pudendi interſepiente aſſertio negatioque valde dubia, niſi Africanis & Iudæis virginibus ob regionis æſtum & ſqualorem, membranulam iſtam denſiorem, craſſiorem magiſque concretam, quam noſtris Europæis ob mollitiem & aëris uliginem obtingere ſtatuatur. Sic nymphas illis proceriores, & tentiginem adſcribunt, in noſtris nuſquam compertas. Et hæc eſt Ioh. Hucheri medici regii, & Cancell. Monſpelienſis ſententia, cui verum virginitatis inditium ſtatui poſſe videtur, Dolor, Cruorque primo coitu effuſus. De dolore jam diximus, & hunc ſimulare doceri.

De cruore igitur, qui præcipuè nobis propoſitus, nunc explicandum eſt. Qui partem affirmativam tuentur, non ſolum authoritatem S. Scri-

pturæ

pturæ afferunt, ſed etiam morem Arabum, Afrorum, & Hiſpanorum. Ratio & experientia eandem confirmare videntur, cum Virgines & dolores patiantur in defloratione, & partium virginalium dilacerationem ac diductionem, unde ſanguinem effluere neceſſarium videtur. Claudianus hanc caſtitatis notam agnovit carmine in nuptias Honorij & Mariæ,

Amplexu caleat purpura regio,
Et veſtes Tyrio ſanguine fulgidas,
Alter virgineus nobilitet cruor.

Huc trahit verecundi poëtæ verſus in jucundo centone Auſonius,

Intorquet ſummis adnixus viribus haſtam.
Hæſit: virgineumque altè bibit acta cruorem.

Ad locum noſtrum Deuteron. XXII. Lyranus, *Dicunt*, inquit, *expoſitores Catholici communiter, quod pater & mater ſponſæ aſſervabant linteum, in quo eorum filia à viro fuerat deflorata, ſub ſigillo authentico, ut per hoc oſtenderent ſigna virginitatis, ſi vir eius poſtea velit obiicere malitioſe, quod eam virginem non invenerit.* Idipſum in hunc uſque diem obſervarunt Iudæi, & obſervant etiam Afri, ut teſtatur Iohan. Leo lib. III. Hiſt. Afr. cap. XXIX. *Apud eos*, inquit, *ſponſus & ſponſa ſimul atque ex ſolemni apparatu domum ſunt regreſſi, conclavi ſe obſerato obdunt oſtio, dum nuptiale paratur convivium. Interim annoſa quædam mulier pro foribus expectat, quæ porrectum ſibi à ſponſo iam marito cruentatum linteolum in mediam invitatorum turbam*

turbam ovans refert, tanquam opimum Virginitatis ſpolium; hacque lege licet convivari. Quod ſi in ſolemni illo coitu nihil cruoris ſponſa per genitalia ſtillarit, redditur illa parentibus cum magna ignominia, tum etiam cum triſtitia totius turbæ invitatæ, quæ impranſa domum redit. Hiſpanos quoque linteola cruentata amicis offerre, cum exclamatione eorum, *Viergen la tenemes,* teſtatur Ioubertus; de quo tamen nihil ſibi compertum eſſe, qui in Hiſpaniâ degerant, mihi retulere. Idem tamen in nonnullis Italiæ locis obſervari, quidam notarunt. Quandoquidem igitur cruor hic & lege firmatus ſit, & conſuetudine populorum obſervatus, tum experientia ac ratione corroboratus, quidni ſit certum & infallibile Virginitatis teſtimonium? Equidem ut ſignum id eſſe omnium maxime probabile haud negarim, ita ut penitus certum ſit, limitatione opus eſſe aſſero. Variæ enim ſunt cauſſæ, cur Virginitas erepta.

Longum cruenta tramitem ſignet nota.

Fieri hoc aliquando certum eſt, ſi inſtante menſium fluxu nuptiæ celebrentur: ſed revera pendet tum ab attritione & divulſione quatuor carunculárum, quas florem virgineum conſtituere diximus, tum à violentiori amplificatione cervicis uteri, præſertim ſi arctior ſit, ut in juvenculis, & virile membrum craſſius & durius. Illud in Hiſpania, & Italia frequens: & meminit quædam apud Ariſtoph. Θεσμοφοριαζούσαις,

Ὅσπερ με διεκόρευσεν οὖσαν ἑπτέτιν.

Niſi forte cum Quartilla illam calamitatem præveniant, quæ Iunonem ſibi iratam optat, ſi unquam ſe meminerit virginem fuiſſe. nam & infantem cum paribus inquinatam, & ſubinde prodeuntibus annis, majoribus ſe pueris applicuiſſe. Quamvis etiam tales pro Virginibus ſe venditare audent,

Δειναὶ γὰρ αἱ γυναῖκες εὑρίσκειν τέχνας.

Mulieres enim ſunt ingenioſæ ad excogitandas technas.

Afferam unum exemplum, quod Arnoldus de Villanova medicus Frederici Imp. & regis Neapolitani, memoriæ prodidit. lib. III. Breviar. cap. VI. Neapoli nupta non aliter exiſtimabatur eximium virginitatis donum marito reſervaſſe, niſi prima nuptiarum nocte ſanguinolenta fierent ea lintea, in quibus conjuges primum veneris ſuæ tyrocinium exercuerant. Itaque nuptæ, cum geniali lecto applicabatur, donare ſolebat maritus candidum induſium: & id quidem ſi mane ſanguineis maculis notatum exhiberetur, virginitas plenè probata credebatur, nullo ſigno ſuſpicionis inſerto. Hoc autem quam fallax eſſet & abſurdum; idem author teſtatur. Nam matres, quæ filias aut impudicas habebant, aut certè ſemel aliquando corruptas, conſueverant adhibitis medicamentis adſtringentibus, in ſecretioribus puellæ partibus indere veſicam quandam piſcis,

quæ

quæ cum & tenuis eſſet & ſanguine repleta, facilè contingebat, ut in primo coitionis impetu rupta & eliſa veſica erumperet ſanguis, qui falſa & fallaci Virginitatis nota induſium nuptæ macularet. Hem aſtutias! Interim novus ille maritus de caſtitate ſuæ ſponſæ ſibi mirè blanditur, quandoque, & apud vicinos jactat & gloriatur.

Verum enimverò iſta cruoris effuſio non ſemper videtur neceſſaria in primo congreſſu. Quando ſcilicet ipſa Virginitas ob morboſam & vitioſam adſtrictionem violari nequit: aut quando adultiores ſunt, & jam plures annos paſſæ menſium effluvium: aut quando vehementer venerem appetunt; tunc enim cervix, & ut obſervat Ariſt. os uteri magis dehiſcit, ut primæ coitiones non ſint laborioſæ, ſed

Salmacida ſpolia ſine ſanguine & cruore,

Idem uſu veniet, ſi membrum virile tenue & parvum: tunc enim facile ingredietur cervicem uteri, nec fit via vi, nec ſanguis emittitur. Non dico jam, quod ſuper attigi, ſi ipſæ jam antea has partes dilataverint. Ex hiſce nunc abunde liquet, cruoris illam effuſionem non ſimpliciter, & univocè ſtatuendum eſſe violatæ virginitatis indicium, ſed referendum eſſe ad ea, quæ dicta ſunt. Vnus nunc reſtat ſcrupulus, de Iudæorum & Afrorum conſuetudine.

Quod ad Legem à Moſe latam ſpectat, ut omittam Rab. Salomonis, aliorumque metaphoricam

interpretationem, Reſpondendum videtur, Legiſlatorem habuiſſe rationem eventus magis univerſalis, & frequenti conſuetudini ſe accommodaſſe, cum Virgines ut plurimum effundere ſoleant ſanguinem in primo congreſſu. Deinde, Virgines tunc temporis rigore Legis perterritas, fideliter ſeſe continuiſſe, & parentes eas diligenter ſervaſſe. Publicum enim ignorabant, manebant domi ignotæ: unde Hebræi adhuc Virginitatem eripere, honeſto vocabulo dicunt Cognoſcere.

Vides, Vir clariſſime, quam tota hæc de Virginitate inveſtigatio dubia ſit & intricata; quod etiam non ignoravit magiſter ad eam rem unicus Salomon, cum Proverb. cap. xxx. quatuor eſſe ſcribit, quæ humani ingenii captum excedant, & quorum indicia aut veſtigia vix deprehendere liceat: viam aquilæ in aëre, viam colubri ſuper terram, iter navis in pelago, & viam viri cum adoleſcentula. Ita ut non abs re ſcripſerit Cujacius XVII. Obſ. XXVII. an ſit virgo, eſt in difficili ac pœnè impoſſibili. Vtinam exoriatur aliquis Democritus, qui cum puellam Hippocratis comitem primo die ſalutaſſet nomine Virginis, poſtridie, Salve mulier, inquit. Fuerat enim puella nocte illa vitiata, ut narrat Laërtius. Et hæc quidem ne Epiſtolæ leges, nimium excedamus, propoſitæ quæſtioni ſufficiant. Quæ ut ſubacto & acri tanti viri judicio lubens ſubmitto; ita ſi ex iſto pectore

(in

(in quo divinarum & humanarum diſciplinarum orbis habitat) id depromere non gravaberis pedibus in tuam ibo ſententiam. Vale, Vir clariſſime, & hæc qualiacunque boni conſule. Kal. Sextil. CIↃ. IↃ. CXXVIII.

IOHANNI BEVEROVICIO,
Artium & Medicinæ Doctori,
BALTH. LYDIUS S. D.

CLariſſ. D. Doctor, Diſſertationem de ſignis virginitatis, imaginem tui, libens legi, maximè ob locum Moyſis Deuteronomii 22. In ea laudes miſces, quibus modeſtiam meam lædis. Nihil enim in me eſt quod ſuſpicias, tantum quod ames. Sed tu Muſarum germen, amoris & humanitatis ille Thyrſo, vincere teipſum voluiſti, cum pares hoc ævo, quos norim, Medicos, non habeas. Vtinam aliquando, quæ hactenus preſſiſti, clauſtra perrumpant, monumentum Tibi ſtatues ære perennius, & quod æternitatem poſſit provocare, neque Muſea Medicorum ſine illa face lucere poterunt.

Vndecim enumeras, & refutas διακορεύσεως ſigna. An alia nulla ſint, magis certa, quæ noluiſti tangere, videbimus aliàs, cum plus erit ocii. Ego cum cuique credendum ſit in ſua arte *L. ſemel. C. de re militari l.* 12. rationibus tuis acquieſco. Vi-

deo jam juſtas cauſas habuiſſe Menochium de *Arbitr. Iudic. Caſ.* 66. *Numero* 1 *&* 3. Virgines inter miſerabiles perſonas reponendi, & Clariſſ. D. Heinſio, miraculo Flandrię, non excidiſſe illa verba, ſed admorſis unguibus ſcripta, quæ leguntur in prima editione Poëmatum ipſius, in jocoſo Epithalamio mihi cantato,

Virgine nil certum minus eſt.

Nam, ut video, nulla dari poſſunt infallibilia virginitatis ſigna. Eradant ergo Iuriſconſulti Legem primam Dig. de inſpiciendo ventre, cum Cujacius Obſerv. lib. 17. cap. 27. fateatur, An ſit virgo, eſſe in difficili, ac penè impoſſibili: neque uſquam legi, hujus rei obſtetricibus delatum arbitrium, An prægnans ſit, obſtetricum poſſe eſſe arbitrationem.

Hæc credo cauſa fuit cur Romani, in probatione Virginitatis, ad miracula decurrerint, de quibus Auguſtinus lib. 10. de Civit. Dei c. 16. quæ ibi videbis. Fabulæ mihi inſtar videtur, quod Ioh. Iacob. Boiſſardus, in Topographia Romæ, refert, de delubro pudicitiæ matronalis, hodie *Mariæ AEgyptiacæ*, in quo erat ſtatua marmorea, apertis labris, bucca veritatis dicta, quia contracto ore, manus impoſitas amputaret illarum, quæ ſe virgines mentirentur.

Quanquam ſtatuis non faveam, optem tamen illam, ſi hæc vera ſint, ei urbi, quæ

Facta eſt iam tota lupanar,

Integram

Integram eſſe, ut ipſæ Deo (ſi credere fas eſt) dicatæ virgines, hoc examen ſubirent. Sed credo hæc picta & ficta eſſe, ut multæ haud liquido auſpicio, ſe probarent virgines, quæ virginum ſunt matres.

Quod Hymenæum Deum ἀπὸ τοῦ ὑμένος, quem Prudentius, Solinus, Auguſtinus Virginal vocant, dictum putas, à Grammaticis hauſiſti, quos miror te ſequi, qui ὑμένα non agnoſcis. Stabiliendæ tuæ ſententiæ hæc potius faciunt, quæ in Servianis Schedis, quas Petrus Daniel nobis dedit, leguntur: Hymenæum adoleſcentem fuiſſe Athenienſem, adeo pulchrum ut puella putaretur, illum raptas à piratis virgines Athenas reduxiſſe, ea lege, ut virgine nobili, quam ante amarat, cujuſque nuptias deſperarat, quæque unà abducta erat, potiretur, quo conceſſo, quia conjugium hoc fœlix erat, placuiſſe Athenienſibus, ut omnibus nuptiis Hymenæi nomen intereſſet. Valeat ergo hymen, valeat Deus Hymenæus: Carmen hymenæum, eſt ab origine quam diximus.

Neque tecum in eo facio, quod ζώνην putes pro clauſtro virginali poni. Zona enim eſt inter ormanenta muliebria *L. veſtis, § muliebria D. de auro & argento.* qnod autem ſolvere virgineam zonam honeſtè de concubitu dicatur, hinc ortum eſt, quod, ut notat Scholiaſtes Apollonij, quæ primum pariunt, zonas ſolvunt & deponunt apud Dianæ. Λύουσι τὰς ζώνας αἱ πρώτως τίκτουσαι, καὶ

ἀνατιθέασιν Ἀρτέμιδι, quanquam Illuſtriſſ. Scaliger pro πρώτως τίκτουσι, legendum putet, πρώτως διαπαρθενευθεῖσαι.

Hinc Solvizonæ Dianæ Athenis templum, & quæ pepererunt *βαθύζωνοι* Pindaro Od. III. Olymp. dicuntur. Vrgebis forſan quod loca allata indicent, primo congreſſu non à partu tantum zonam ſolutam. Agnoſco, ſed nihil hoc pro hymene aut ullo ad eum reſpectu, ſed ex illo ritu manavit, quod virgines zonula cingebantur, quæ à viro, primo nuptiarum die ſolvebatur, hinc illud apud Catullum: LXII. de hymenæo.

Tibi virgines zonula, ſolvunt ſinus.

Hujus cinguli meminit Feſtus, loco à Te laudato, laneum autem erat, & hoc virginalis puellarum venter, pro pudicitiæ cuſtodia, cinctus ſervabatur, nec licebat ſponſo, potiri ſponſa, niſi hac zona ſoluta. Antequam manum de tabula in hoc argumento, παρεργῶς hoc addam, aliud Græcis, aliud Romanis eſſe, zonam ſolvere. Græcis ferè zona ſolvitur, primo partu: Latinis, primo congreſſu. Sed ἔνστασις dari poſſet verbis Theocriti Idyll. x.

λῦσε δὲ οἱ μίτρην, καὶ οἱ λέχος ἔντυπον ὥραι.

ubi zonam ſolvere, eſt virginitatem minuere, ut tecum dubitem, an jure locum Scholiaſtæ Apollonij ὁ μακαρίτης ſollicitarit, cum loca ſint, apud Græcos, ubi zonam ſolvere, eodem modo, quo apud Latinos explicandum eſt. Verſus Catulli LXV

Non

Non illam genetrix orienti luce reviſens
Heſterno poterit collum circumdare filo.

Pro ſententia Catulli faciunt verſus Calpurni.

Sed poſtquam Donacem duri clauſere parentes,
Quod non tam tenui filo de voce ſonaret
Sollicituſque foret linguæ ſonus, improba cervix,
Suffuſuſque rubor crebro, venæque tumentes.

Collumbar hoc genus vinculi dici, notavit ad Catullum Achilles Stathius. Antonius Parthenius erravit graviter, hunc ritum non capiens & aliorum hæc traxit, videlicet ad nutricem Thetidis, non amplius afferentem ſtamina, neque illam circumdantem penſis glomerandis, quia non amplius ſit puella, ſed jam facta ſit maxima matrona, quo gloſſemate multum apud me ſuæ exiſtimationi detraxit.

Ad locum Moyſis venio, Καὶ γαμίῃ ῥαθάμιγγι περιςιχθέντα χιτῶνα hoc eſt, *Nuptiali gutta circumdatam tunicam*, ut loquitur Nonnus Διονυσ. μη, in cujus explicatione, ſi quandoque prætextatis verbis ſit utendum, argumento imputabis.

Miratus ſum Mercurialem veſtrum de hoc loco agentem, ſequentia ſcribere auſum : *Quare cum nullum virginitatis certum & irrefutabile ſignum haberi queat, dicendum eſt : omnibus alijs minus incertum haberi, quod à cruentatis indumentis capitur, ac propterea iſtud, licet non ita firmum, Moyſen recipere voluiſſe, ne penitus hominum pravitati licentia in innocentes peccandi concederetur*. Nam non Moyſis, ſed Dei hæc Lex

eſt,

eſt, hoc ergo ſignum infallibile eſſe oportet. Simili modo, Iulius Cæſar Claudinus, quem Bononiæ audiviſti, reſponſionibus ſuis Medicinalibus errat, cum ſcribit: *Illud adeo celebre apud Hebræos, in ſacris literis deſlorationis argumentum, mea ſententia falſum.*

Longè modeſtius Tu Legem Moyſis interpretaris, de eo quod plerumque fiat, & fibulam, quæſtioni imponis loco Prov. xxx. xix. Sed, ubi Medicus deſinit, incipiam Theologorum infimus & ſolidiorem longe, Te ipſo arbitro, interpretationem aliam ſuggeram, ſalvo meliori calculo.

Hypotheſis hæc certa eſt. Signum à Moyſe narratum, cum profectum ſit à Naturæ authore & Domino, infallibili ad hæc judice, tale eſſe oportere, quod in Iudæis non feſellerit unquam, nam aliàs, multis ſæpè facta eſſet injuria, quæ pronunciatæ fuiſſent, ex hac lege, corruptæ ſigno hoc non apparente, cum tamen fuiſſent virgines.

Signa, ut hoc à veſtris mutuer, alia ſunt παθογνωμονικὰ, alia συνεδρεύοντα, priora ſunt inſeparabilia, poſteriora ſæpè tantum accidunt, & quandoque prorſus non adſunt.

Ego ſignum illud cruentati lintei, judico eſſe παθογνωμονικὸν, & nunquam in ullis feſelliſſe: fluctuaret enim perpetuo animus judicis, ſi hoc ſignum, ex quo judicandum erat, fuiſſet inſtar Leſbiæ regulæ, & quandoque feſelliſſet. Dubitans autem, ignoranti æquiperatur, *L. ult. § ſin autem ne-*

ſcius

ſcius. Cod. de furtis. Et judicium in pendenti eſſe non poteſt. *L. non quemadmodum.* XXXV. *D. de Iudicijs.* Iudex curare debet, ut certam ſententiam ferat. §. *curare.* XXXII. *Inſt. de Actionibus* Si hoc obſervant leges humanę multo magis divinæ id non neglexerunt.

Quæritur ergo quodnam illud fuerit ſignum. Clariſſimus Vir, Franſciſcus Iunius, in Analyſi Deuteronomij, exiſtimat, ſervatam fuiſſe poſtremam veſtem lineam, qua proximè ante conjugium puella uſa fuerit, in qua fluores erant menſtrui; ex quibus liqueret, eam non concepiſſe, nam tum fluores iſti ſiſtuntur. Miratus ſum hæc in poſthumo illo ſcripto legens.

Ego tum Leydæ eram, cum hæc prælegeret Iunius, & fidem meam interpono, illum hanc ſententiam refutaſſe ſolidis argumentis, quorum quædam in mundo ſunt, & à memoria mea repetivi. Primum erat, quod non eſſet quæſtio, an uxor antea fuiſſet gravida, ſed an Virginem reperiſſet? Secundum, fluores non ſemper ſiſti poſt conceptionem. Tertium, Impoſſibile fuiſſe diſtinguere ſanguinem menſtruum à ſanguine erumpente primo concubitu, itaque maritum contra illud linteum excipere potuiſſe, ſibi non liquere, ſanguinem hunc eſſe menſtruum. Alia fugerunt memoriam Irrepſit ergo objectio pro ſententia juniana, aut mutavit ſententiam poſtea, quod nullis credo, quia paulo poſt migravit ad plures.

Lutherus

Lutherus in Deuteronom. Incertum dicit eſſe quis fuerit modus explorandę, aut probandę virginitatis publicè. Nam privatim in primo concubitu experiri poſſe, an ſit corrupta, vel incorrupta, videre ſe ferè omnes conſentire, quod primus concubitus ſit amarus & aſper, dum virginale clauſtrum violatur, & veſtigium relinqui ex ſanguine læſi clauſtri in panno. Sed Auguſtinum hoc incertum facere, qui illud ipſum clauſtrum aliquando violari dicit à matronis, vel ipſis puellis, digito explorantibus. Quod ſi donetur eſſe certum, quomodo (inquit) publicè probabitur? An vir allegabit, nec aſperum, nec durum fuiſſe primum concubitum? Quid ſi mulier neget? An ſanguinem reliquum in veſte oſtendet? quis iſta pudenda ferat in judicio publico oſtendi? Potius dicam me neſcire morem hunc. Vel illis conſentiam, qui dicunt, quod Pater & Mater puellę, dum filiam tradunt, prius per honeſtas matronas, virginitatem illius explorant, quæ poſtea teſtes ſint in judicio, fuiſſe illam Virginem, & hoc ſit quod Moyſes dicit patrem expandere veſtimentum, ubi dixerit: *Ecce hæc eſt virginitas filiæ meæ*, id eſt, per has matronas oſtendo illam fuiſſe virginem, & in ſignum ejus expando veſtimentum, cujus expanſio ſignficet, rem eſſe apertam & probatam, ſicut mos fuit iſti genti, excutere veſtimentum dum minantur, ut Nehemias fecit. c. 7. & ſcindere veſtimentum, dum indignantur: ita expandere veſtimentum, dum rem claram, explicatam, & perſpicuam faciunt. Quam-

Quamvis & hic mos, prætentandæ ſponſæ ante nuptias per matronas, ſatis pudendus ſit. Sed cum aliud non habeamus, interim hoc admittamus.

Hactenus Lutherus, qui poſteriorem hanc ſententiam hauſit à ſuo Nicolao Lyra, & Caietano, quos ferè in enarrando Moyſe ſequitur, neque me movet, quod de pudendo ſigno in judicio ingeminat: nam ſi ſummus Sacerdos judicabat de lepra, eamque inſpiciebat, ubi erat, cur non judices in judicio inſpexiſſent linteum cruentatum? Ritum excuſſionis veſtium, & lacerationis, norunt omnes, ſed ritus explicandi ſignum in ſignum rei manifeſtæ, probandus eſſet claris Scripturæ teſtimoniis.

His accedit, quod lintei (non ſinus aut veſtis) explicandi in Moyſe fit mentio, ideo Ebręam vocem [*HASHIMLAH*] quæ veſtem ſignificat, Chaldæus interpres vocabulo [*SHOSHIPHA*] explicat, quod linteum ſignificat. Non inquiram in cauſam hujus ſanguinis effluentis, An ſit ex rupto hymene, quem Veſalius l. 5. Anatomiæ, c. 15. Columbus, Fallopius, & alii aſſerunt, Oribaſius lib. 24. Collectaneorum, & Valeſius in S. Philoſophia c. 25. refellunt? An ex labiorum uteri conſtrictione ac ſymphyſi dilatata? de qua Galenus de Vivorum Anatomia, capite de utero. An ex venarum congerie collo uteri inhærentium dilatatione & diſruptione? Has, inquam, lites non faciam meas. Quacunq; ex cauſa extiterit, dico agi de linteo cruentato, à prima cum ſponſa conſuetudine, hoc judici

inſpici-

tato, à prima cum ſponſa conſuetudine, hoc judici inſpiciendum, & ex hoc ſigno infallibiliter judicandum fuiſſe.

Pro hac ſententia facit ritus Iudæorum, cujus meminit Moyſes Nachmannus, qui ait ante thalamum nuptialem aſtitiſſe duos ſodales, qui præeuntes cubiculum explorarunt, ne quid, quod ad judicium virginitatis pertinet, inſidiarum alter alteri imponeret, totamque noctem adſtantes, ſummo cum gaudio, animique hilaritate, excubias, ceu cuſtodes Regis & Reginæ agebant. Illorum erat, egredientibus ſponſo & ſponſa, protinus irrumpere, explorare omnia denuo, & agnita priora lintea, in quibus concubuerant, acceperunt, ac tradiderunt matri.

Sirempſe narrat Leo in deſcriptione Africæ lib. 3. cap. 34. qui procul dubio hæc à Iudæis hauſerunt. Quod ſi me urgeas ut propius exponam, cur nunquam hoc ſignum feſellerit inter Iudæos, cum fallat hodie, & cauſa evidentiæ hujus ſigni à Medicis pluribus argumentis oppugnetur, reſpondeo,

1. Iſraelitas anno ætatis 12 filias ſuas elocaſſe, ut probatio illa virginitatis eo magis in illis locum habere potuerit. Sed hoc non urgebo.

2. Autorem hujus Legis Deum aliquid peculiare quoad hanc rem operatum eſſe in populo ſuo, atque effeciſſe, ut ſemper ille ſanguis in primo concubitu flueret, quemadmodum Numeri 5. verſu

verſu 18 ſemper intumeſcebant & computreſcebant, viſcera & fœmora illarum, quæ aquam maledictam bibebant, & violati thori reæ erant.

3. Aliam fuiſſe rationem Iudaicarum, quam noſtrarum puellarum. Iudæorum ſanguis valde fuit calidus, & corruptioni, ſi ullus, facillimè obnoxius, quod ex lepra, à qua gens illa præ aliis valvalde infeſtabatur, manifeſtum eſt: nam ea longe alterius erat generis, quam vitiligo harum regionum, aut vulgaris Elephantiaſis.

Quæ cauſa quoque fuit, præter ceremonialem, cur velarent faciem, ne inficerent aërem, cur à cœtibus hominum excluderentur, cur carnes ſuillas illis veſci non liceret, cur menſtruatæ haberentur pro immundis, & viſu ſolo, ſæpe læderent res objectas, quorum longè variat ratio apud nos, cœli ſolique mutatione.

Nemo ergo mirabitur αἱμοῤῥαγίας hujus fœmineæ aliam apud Iudæos, quam noſtrates rationem.

4. Obſtetrices denique noſtrates, ut mihi Clariſſ. Pavius olim dixit, ſuper hoc loco illum conſulenti, in anteceſſum cavent noſtratibus Virginibus, dilatione illarum partium, non diu poſt partum, ea ratione facta, quam hic referre pudet.

Summa, quod non variarit hoc ſignum apud Iudæos, factum, ſi non ex peculiari ſexus hujus apud Iudæos conditione, ſaltem ex Dei ordinatione, illis duræ cervicis hominibus zelotypis,

pis, & ad ſequius de ſuis uxoribus ſuſpicandum pronis, hoc ſignum illæſæ virginitatis dantis, & ora maledicorum in futurum capiſtrantis.

Locus Proverb. cap. 30. tmemate 19, male accommodatur huic argumento. Aliam rem Salomon agit, cum inter quatuor, quæ non novit, enumerat; Viam viri in virgine: nam naturalia illa ignoraſſe, tam ſapientem hominem, qui ſcripſit à Cedris Libani, uſque ad Hyſſopum excreſcentem in pariete, nunquam credam. Non itaque agit de formali virginitatis ſed de clandeſtinæ ſcortationis patratione, cujus mille artes ſunt à Diabolo ſuggeſtæ, & inexplicabiles methodi, quibus tegant ſuam turpitudinem & libidinem expleant, quam rem comparatione parium, poſtea illuſtrat.

Alii de conſenſu virginis, vel potius viduæ, quæ moleſtias partus eſt experta, in conjugium, in quo Salomon pronubum animadverterit Iehovam, cor puellæ aut viduæ flectentem, & cuique Adæ ſuam Evam adducentem. Patres qui ſæpe παρερμηνεύουσι, verba hæc de partu Mariæ virginis explicant. Sed hæ tres poſteriores magnas habent ex textu ipſo difficultates, itaque prior animo ſedet. Neque me movet, quod Virginis fiat mentio, cum agatur de corrupta, quæ poſtea vocatur adultera, nam quanquam nomen Ebraicum [GN*ALMAH*] ſemper virginem ſignificet, non male tamen hoc loco uſurpatur, quia συγχωρητικῶς loquitur Salomon, & de illa agit, quæ virginem mentitur.

Habes

Habes Clariſſime Domine, Doctor, ſententiam meam de hoc loco Deuteronomij, non eo animo allatam, quaſi illam cuiquam obtrudere ſic velim,

Vt ſecus ſi quis ſenſerit, nil ſentiat,

Meliora docenti, libenter cedam, optoque ut in hac collatione

fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum ſolet, expers ipſa ſecandi.

Vale, & me amare pergito.

Dordraci, An. CIↃ IↃCXXVIII. *Septemb.* IX.

CLAVDIO SALMASIO,

Fœlicem in Bataviam adventum gratulor.

IOH. BEVEROVICIUS.

NObiliſſime Domine, Quicunque patriam & Muſas amat, non poteſt non immenſo cum gaudio patriæ gratulari, quod ei illuſtrandæ Muſis comitatus huc venire non gravatus ſis. Equidem pro amore, quo literas, pro cultu, quo earum principes proſequor, jam Lugdunum gratulabundus advolaſſem, & præſens auguſtum caput, in quo Muſæ & Gratiæ ſibi ſedem elegere, veneratus fuiſſem, niſi me ægrorum multitudo velut compede vinctum hic detineret. Per literas interim interpretes, quibus minus temporis

divinis occupationibus tuis ſuſſurabitur, hunc animum tibi ob ſumma in remp. literariam merita devotum offerre, & incredibile gaudium, quod ex adventu tuo capio, tanquam in ſinum tuum effundere volui. O factum bene! quod φιλομάθεις Bataviæ proceres, omnis eruditionis Phœnicem inuſitato præmio vocarint, fœlices quod pellexerint, & magno Scaligero, qui ſuccedere dignus eſſet, repererint. Deum veneror, diu patriæ, honori ſis & ornamento,

Serus in cœlum ut redeas, diuque
Lætus interſis populo Minervæ.

quo, nominis tui gloria univerſum orbem terrarum implere pergas, edendis & perficiendis quæ jam confecta & affecta habes. Inter illa ego vehementer deſidero quæ in Plinium meditatus es, in quo quamvis multi ſudarint, multi ſalutares manus attulerint, pluribus tamen locis medentis adhuc manus deſideratur. Te Æſculapium eſſe, qui lacerum hunc crudeliter ora Hippolytum reſtituere poſſis, Plinianis in Solinum exercitationibus oſtendiſti. Fruſtra nuper fui, eum ex ijs eruere lucem obſcuro loco conor apud Plinium, qui præter veſtratem Dalecampium, Hiſpanorum aliquot Doctorum ingenia valdè torſit, ut videre eſt apud And. Schottum v. Obs. Num. x. qui cum judicium ſuum interponere ſit veritus, viſus eſt mihi dignus te vindice nodus. Verba hæc ſunt è lib. VII. cap. I. *Atque etiam eſt morbus aliquis per ſa-*

pientiam

pientiam mori. Mercurialis & Dalecampius Phreneſin intelligi putant, quaſi morbum ſapientiæ ſeu mentis læſæ. An morbus per nimiam ſapientiam? tali laborare Abderitæ ſuum putabant Democritum ἔπος ſcribunt Hippocrati, ὑπὸ πολλῆς τῆς κατεχούσης αὐτὸν σοφίης νενόσηκεν. An hoc perijt morbo, qui inſanientem ſapientiam hauſerat ex lectione Platonis de immortalitate animarum, Cleombrotum, ut etiam vox *mori* ſervetur? Sed de Phreneſi verba Plinij, non eſſe capienda contendit poſt Scaligerum vir inter doctos magni nominis, ob hæc quæ ſequuntur. *Morbis enim quoque quaſdam quaſi leges natura poſuit*: vultque, *Mori per ſapientiam* dici, qui ordine καὶ οὐκ ἀτάκτως, & cum quodam artificio naturæ moritur. Quale artificium ac τάξις ἐν ταῖς περιόδοις de quibus autor antea egerat; ijsque ἐπιφωνηματικῶς ſubjungere, *Atque etiam eſt morbus aliquis per ſapientiam mori*, quod Græci dicerent, ὥσπερ ἤδη νόσον τινὰ εἶναι τὸ μὴ ἀτάκτως θανεῖν, aut etiam urbanius, τὸ μὴ ἀμεθόδως θανεῖν. De hoc dubio, V. L. quæſo tuam ſententiam ſcribere digneris, ut in literis velut exorientis amicitiæ teſſera, manum tuam, divinorum operum inſtrumentum, exoſculari poſſim. ἔρρωσο ὦ θαυμάσιε, καὶ ἐμὲ φίλησον. Dordrechti ipſis Kal. Dec. cIↃ IↃ C XXXII.

IOHANNI BEVEROVICIO, *Medicinæ Doctori, & urbis Dordrechtanæ Senatori* CL. SALMASIUS, SP.

GRatulantem te mihi pro adventu in has regiones, niſi quibuſcunque poſſem modis remunerarem, ingratus omnino viderer, Clariſſime Beverovici, cujus criminis ſuſpicione, ut à me longiſſime amoverem, ſedulo ſemper cavi, præcipue adverſus tui ſimiles, quos ubique ſtudeo prior demereri. Vbi hoc non datur, ægre quidem id fero, ſed ad δεύτερον πλοῦν confugio, ſaltem ut redhoſtiam. Ita nunc hoc officioſo certamine à te præventus, nihil mihi relictum eſt, niſi ut in ſecundis hæream, & gratias tibi agam maximas, gratiſſimamque hanc adeo mihi eſſe gratulationem, quia re minus hoc quidem tempore poſſum, verbis ſaltem oſtendam. Sed nec minus me grates etiam agere par eſt pro illis ipſis, quæ nec recipere, nec agnoſcere me te donante, profiteor. Largiris illa tu quidem peramanter, ſed ego quid in veritate ſit magis conſiderans, quidquid ſupra me eſt, nec ad me pertinere arbitror. Succeſſi certe maximo virorum Scaligero τῷ μακαρίτῃ, ut longe temporis intervallo, ita longiore meritorum interſtitio. Fuit ille vir, quod etiam omnes invidi fateantur inviti, ætatis ſuæ doctiſſimus, cui nec ſequentes omnes parem ferent aut videbunt,

ut nec

ut nec tulerunt priores. Ei me ſucceſſiſſe videri vix poſſum pati, cum nihil minus ex doctrinæ diſparilitate conveniebat. vix etiam illi patiantur, qui me melius æſtimare norunt, quam qui me habent amiciſſimum. Scis enim, quam cœcum ſoleat eſſe & iniquum amicitiæ judicium, quam libenter omnia tribuat illis, quibus nihil tribueret, niſi amaret. Vt ut ſit, ſane in loco ſum poſitus, nullo meo merito, quem multi alii iique indigenæ longe dignius ac melius implere poterant, quos præteritos eſſe ut ad me iretur, equidem mirarer, niſi memor eſſem proverbii, quod veridico ſuo ore ſalutis auctor noſtræ pronunciavit olim, neminem eſſe prophetam in patria. Sed hæc hactenus. nunc ut poſteriori Epiſtolæ tuæ parti reſpondeam de loco Pliniano, qui hactenus viros omnium nationum eruditiſſimos habuit exercitos, non video, quî tibi poſſim ſatisfacere, qui nunquam mihi ſuper eo fecerim ſatis. Aliorum interpretationes refutare mihi magis obvium, quam aliquam aſſerere, quæ mihi probetur. Veriſimiliorem. non diffitebor illam mihi ſemper eſſe viſam Mercurialis ac Dalecampii, qui φρενῖτιν intelligi putarunt. Φρενῖτις certe ita poteſt dici τῶν φρενῶν νόσος ἀρθρῖτις τῶν ἄρθρων ac πλευρῖτις τῶν πλευρῶν. Quidni, inquam, ſapientiæ morbus certe dicatur, ut lateris morbus, & articulorum dici Latinis conſuevit, quam pleuritin, aut arthritin unica voce vocant Græci? Cer-

te φρένας pro ſapientia Græci iidem paſſim uſurpant, unde φρενήρης ſapiens ab illis nuncupatur, qui tamen & delipientem ſic vocare ſolent. Vtriuſque enim ſignificationis χρῆσιν adnotant veteres Grammatici. Etymologicum magnum, φρενήρης, ὁ φρόνιμος καὶ παράφρων Plinius eo capite, quo notaſti, per ſapientiam mori dixit, ac capite ſequenti longe clarius, *ſapientiæ ægritudinem* appellat, quam vix aliter interpretari liceat, quam φρένιτιν *Iam ſigna*, inquit, *letalia, in furoris morbo rijum, in ſapientiæ vero ægritudine fimbriarum curam, ac ſtragulæ veſtis plicaturam* &c. per furoris morbum τὴν μανίαν videtur intelligere, per ſapientiæ ægritudinem, τὴν φρενῖτιν. At de phrenitide non eſſe capienda Plinii verba contendunt viri docti, quia Plinius ſtatim ſubjicit: *morbis enim quoque quaſdam quaſi leges natura poſuit*. Nihil obſtare hæc verba plane cenſeo, quæ potius trahenda ſunt ad ſequentem periodum, quam ſuperiori adnectenda. idque ſuadent vetuſti codices, qui legunt: *Morbis quoque*. Sic igitur diſtinguenda hæc ſententia, quæ non pendet à ſuperiore per cauſſativam voculam, ſed cum ſequentibus connecti debet: Morbis quoque quaſdam leges natura impoſuit: *Quadrini circuitus febrem, nunquam bruma, nunquam hibernis menſibus incipere, quoſdam poſt ſexageſimum vitæ ſpatium non accedere*. Hæ ſunt leges, quas natura morbis impoſuit, ut quartana nunquam bruma incipiat, ut quidam morbi nunquam tentent qui

ſexage-

ſexageſimum vitæ annum attigêre, ut alii pubertate deponantur, ut ſenes minime ſentiant peſtilentiam. Non poſſum etiam probare, quod à doctiſſimo viro heic adſtruatur, ſapientiæ vocabulum poni pro certo ordine, & opponi iis quæ caſu fluunt, ac inordinatim. Nec juvat filum hanc expoſitionem locus Taciti, in ſapientiam vertenda, quæ caſus obtulit. cujus loci longe aliâ ſententia eſt. Omnino mihi videtur ſapientiæ vocem hic eodem ſignificato ſumi debere, ut eam uſurpavit ſequenti capite his verbis, quæ jam ſuperius attuli: *iam ſigna letalia in furoris morbo riſum, ſapientiæ verò ægritudine fimbriarum curam, & ſtragulæ veſtis plicaturas.* τὴν φρενῖτιν intellexiſſe per ſapientiæ ægritudinem plane mihi conſtat, vel τὴν φρενῶν νόσον. Sic quidam apud Hippocratem accipiebant olim hæc verba ex prognoſtico, εἰ δὲ ἀναΐσσοντος τοῦ νοσήματος ὡς πρὸς τὰς φρενάς. De phrenitide nempe, vel παραφροσύνῃ. Aliter exponit Galenus. Sed hoc parum facit. Illud magis ad rem, quòd ſigna illa, quæ tribuit ægritudini ſapientiæ Hippocrates in prognoſtico τῇ φρενίτιδι aſſignat: ὁκόσοισιν ἐν πυρετοῖσιν ὀξέσι ἢ περιπνευμονίῃσιν, ἢ ἐν φρενίτιδι ἢ ἐν κεφαλαλγίῃσι περὶ τοῦ προσώπου φερομένας καὶ θηρευούσας διὰ κενῆς καὶ ἀποκαρποφολογούσας καὶ κροκόδας ἀπὸ τῶν ἱματίων ἀποτιλλούσας πάσας εἶναι κακὰς καὶ θανατώδεας. Et notandum eſt, quod Galenus commentario ad illū locum obſervat, poſteriores omnes medicos uſitatas ſibi voces κροκοδίζειν, & καρφολογεῖν

 de

de ſignis phreniticorum ab illis Hippocrateis mutuales eſſe: καὶ τόγε κροκυδίζειν καὶ καρφολογεῖν εἰθισμένα τοῖς ἰατροῖς ἅπασι ῥήματα κατὰ τῶν φρενιτιζόντων λέγεσθαι τὴν θέσιν ἐντεῦθεν ἔλαβεν. Plinius quoque loco ſupraſcripto Hippocratem primum ſigna illa letalia in ægritudine ſapientiæ de phrenetide prodidiſſe autumat. Iam hinc certo certius ſapientiæ morbum vel ægritudinem ab eo vocari, quæ Græco auctori, unde accepit, φρενῖτις nominatur. Ita ergo & ſapientiam uſurpaverit capite præcedenti, etſi verba paullo obſcuriora ſunt, & intricatam contineant ſententiam : *atque etiam morbus eſt aliquis per ſapientiam mori.* Quod Græcis verbis hic fortaſſean expreſſum fuerit: ἐστὶ καὶ τὶς νόσος, τὸ φρενιτικὸν ἀποθνήσκειν. Hoc certe, munere videtur, multos nulla alia valetudine, niſi ſela τῶν φρενῶν ἐκστάσει mori. Aliquando φρενῖτις ac ſapientiæ morbus acutis morbis ſupervenit, aliquando per ſe morbus eſt, & moriuntur multi. per ſapientiam, hoc eſt, φρενιτικοὶ τελευτῶσι. Multa dixi, & nihil fortaſſe dixi. Tui facio judicij, an ſcopum attigerim. Mea certe hæc non eſt opinio, ſed ab alijs jam expoſitam confirmare, quantum in me eſſet, optimum duxi, quia nihil reperiebam, quod eſſet probabilius. Vellem in alia re, quæ melius mihi ſuccederet, experiri tibi liberet, quantopere me tuum feceris tam prolixa humanitate ac benevolentia, quæ in litteris, quas ad me dediſti, eluceſcit, omnibus relictis rebus apud omnes

omnes teſtarer, nihil me non tua cauſſa velle. Perge itaque me amare, Vir clariſsime, &, quoniam incepiſti, cave his in medio curſu, cui auſpicium dederis ipſe, in amicitiæ tuæ ſinum tendentem deſeras. Vale. Leydæ, Nonis Decemb. ↀIↃ IↃ C XXXII.

CLAVDIO SALMASIO.

IOH. BEVEROVICIUS.

εὖ πράττειν.

MEritò nominis tui ſplendore deterrerer, Eruditorum præſtantiſſime, iterum ad te ſcribere, niſi tantà humanitate ipſius me invitare, & velut currentem incitare voluiſſes. Non literas modo mittis mero Gratiarum nectare imbutas, ſed ſimul theſaurum reconditæ eruditionis. Neque ego aliud expectare poteram ab illo, quem magnus Scaliger (cui ad æternam Academiæ gloriam quod merito ſucceſſiſſe judicaris, non eſt quod vix pati poſſis) tanti fecit adhuc adoleſcentem, parcus aliàs aliorum admirator, ut doctiorem ſe perpetuo reddi à literarum tuarum lectione ingenuè fateretur. Si quis illi poſt obitum ſenſus eſſet, quibus non modis, gratularetur, quo non gaudio, qua non exultatione, tibi hanc ſucceſsionem? Traheretur fortè de iſto Plinij loco in opinionem Mercurialis, quem No-
tis

tis ad Euſebij chronicon eo nomine laceravit convitijs. Morbum autem per ſapientiam eundem videri, qui ſeq. cap. Sapientiæ ægritudo vocatur, & hanc certò Phrenitiden eſſe ex ſignis, quæ Plinius ab Hippocrate de Phrenitide mutuatus eſt, ſcripſeram viro illi clariſsimo, qui tamen ab illo δὶς διὰ πασῶν diſcrepat. Iſta nunc tanti viri judicio probari, & tot rationibus confirmari, vehementer gaudeo. In eo fortaſſe quis hærere poſſet, cur Plinius aliquem morbum dicat mori, ſive mortem, & non potius dixerit, *Eſt morbus aliquis, per ſapientiam ægritudo*. Quæ nonnullis hic de moro commenta placent, mihi non fiunt veriſimilia. Morus, inquit Plinius è Theophraſto, noviſſima urbanarum arborum germinat, nec niſi exacto frigore: ob id dicta, ſapientiſsima arborum. Ergo, inquiunt nonnulli, ut morus non niſi exacto frigore germinat: ita & morbus aliquis, ut quartana febris, hyberno non invadit tempore, ſed autumno & vere. Poſſet quis, cui hæc λεπτολογήματα non diſplicerent, mutando ſapientiam in abſentiam de podagra explicare, eo quod apud Athenæum ſcribatur moros aliquando annis viginti fructum non edidiſſe, & podagram populariter ita graſſatam fuiſſe, ut non ſolum viros ſed etiam pueros, virgines, eunuchos, mulieres is morbus corripuerit. Sed non minus ridiculus eſſet, quam Medici, qui Epidemicam illam Podagram defectui mororum tribuunt, quaſi ijs ineſſet peculiaris vis prohibendi podagram. Ma-

gis

gis miror, quod apud eundem Athenæum legi, veteres Sternutamentum adoraſſe tanquam ſacrum & quod alij addunt, tanquam Deum. O Sanctas gentes, inquit ille, quibus hæc naſcuntur in hortis Numina, ſed nonne hanc tirres, quib⁹, cum Iupiter τοκάδα ἔχων τὴν κεφαλὴν, unicam modo filiam è cerebro genuerit, quotidie, quot volunt Dij è putido plerumque cerebro eijciuntur? Πολυμαθέστατος. Caſaubonus hunc citat ex l.b. III. de expeditione Cyri, locum Xenophontis, τοῦτο δὲ λέγοντος αὐτοῦ πτάρνυταί τις ἀκούσαντες δὲ οἱ στρατιῶται, πάντες μιᾷ ὁρμῇ προσεκύνησαν τὸν θεόν. Ex quo fortaſſe θεότης hæc minus certò colligeretur, cum intelligi poſſe milites videantur Deum rogantes, ut ſævum aliquod omen averteret, vel ſternutanti bene precatos, ut ſolebant hàc formula, Ζεῦ σῶσον. Niſi teſtis omni exceptione major hujus eſſet, Ariſtoteles, qui etiam cauſſam inquirit, Sect. XXXIV. Probl. VII. Διὰ τί τὸν μὲν πταρμὸν θεὸν ἡγούμεθα εἶναι, τὴν δὲ βῆχα ἢ τὴν κόρυζαν οὔ ἢ διότι ἐκ τοῦ θειοτάτου τῶν περὶ ἡμᾶς, τῆς κεφαλῆς, ὅθεν ὁ λογισμός ἐστι, γίνεται ἢ ὅτι τὰ μὲν ἄλλα ὑπὸ νοσούντων γίνεται τοῦτο δὲ οὔ. Neutrum credo te admittere, cum ſternutamentum ſymptoma ſit, & non minus quam tuſsis, aut gravedo cauſſam habeat, ut Medici vocant, præter naturam, & revera ſternutantes ſimile quid

pati-

& non minùs quam tuſſis, aut gravedo cauſſam habeat, ut Medici vocant, præter naturam, & revera ſternutantes ſimile quid patiantur Epilepticis. E capite quoque principium ducit Epilepſia, ἱερὰ νοῦσος Hippocrati, non tamen Deus: & certè alia huius appellationis ratio reddi poteſt. Febris Romanis culta non oritur à capite. Altero ab hoc probliterum quærit Ariſt. cur Flatus ex aliis locis erumpentes non habeantur ſacri, cum habeatur Sternutamentum? reſponſionem concludit, quaſi bonæ indicium valetudinis partis optimæ atque ſacerrimæ Sternutamentum adorare, beneque homines augurari. Sanitatem Deam habitam, & quidem τὴν πρεσβύτην μακάρων pati poſſum, hujus verò ſigna in cerebro Deos quoque ſtatuere, cum ne quidem ipſa illa pars optima atque ſacerrima, non homo, licet animal adorandum & admirandum à ſapientiſſimis Egyptiorum ſacerdotibus appellatus, etiam quando incorrupta eſt ſanitate, Deorum catalogo adſcribatur, inter maxime abſurda ponendum videretur, niſi tu, Clariſſime eruditorum, non omnino antiquitatem inſaniviſſe putares aut præter rationem auxiſſe. Coelitum populum, qui maior, inquit Plinius, quam hominum, cum ſinguli quoque ex ſemetipſis totidem Deos faciant. Quanquam à noſtris minus quam ἐφημέροις & qui quaſi herbæ treſtitiales, ut eſt apud Plautum, paulliſper modo ſunt, & repente orti, repente occidunt, nullus Iovi metus, ne arctiorem Olympum

pum faciant; ἤ ἴσα ἐργάζωνται αὐτὸν, διὰ καὶ ὁ γεῖναδας ἔδρασε τὸν Κρόνον. Sed nugarum abunde, inquies, & credo jam propemodum poenitere humanitatis, qua nil ad ſorbendum impuliſti, & cui ego ſubnixus liberius tecum ago. Quod ut æquo feras animo, meque amare pergas etiam atque etiam rogo. Vale. dordrechti v. Eid. Januar. CIↃIↃ CXXXIII.

IOHANNI BEVEROVICIO, CL. SALMASIVS S. D.

QVi factum ſit, Clariſsime Beverovici, ut meæ ad te non pervenerint, quæ tuis poſterioribus reſpondebant, ego vero divinari non poſſum: hoc tantummodo mihi conſtat, & doleo, tibi redditas non fuiſſe, ſive culpa tabellarii id acciderit, ſive famuli, cui eas tradidi, ad tabellarium perferendas, interim nollem certe id accidiſſe, quo merito poſsim parum diligens hujuſce officii literarii cultor argui, cujus ego me ſemper ſuperſtitioſum obſervatorem profeſſus ſim, modica ac legitima in his religione minime contentus. Si me talem veteribus amicis uſque probavi, quid me facere oportuit, in iſtis naſcentis commodum inter nos amicitiæ initiis, quæ cum alias cæteris in rebus ſoleant teneriora eſſe, ſic in amicitia delicatiſſima ſunt, & minimæ etiam offenſæ obnoxia. Reſpondi igitur, reſpondi jam tibi, Vnorũ amiciſsime, & ampliſsime, & de Plinii loco etiã ingenue faſſus ſum

ſum non me mirari, ſi tibi non ſatisfecerim, cum nec ipſe mihi, Profecto cum locum eum repetitis ſubinde vicibus ſæpius vexarim, nunquam memini me ab eo recedere fiduciæ plenum, quaſi quidquam profeciſſem, τὰ σκληρὰ Theocriti, veteres notarunt Critici, ut & Virgilij, ex quibus expedire ſe non poterant, ita locus iſte merito inter Plinij σκληρὰ recenſendus. Non dubium quidem, quin ſapientiæ ægritudo apud eum cap. XXI. de eo morbo accipienda ſit, quam Græci φρενῖτιν dixere, qui & φρενῶν νόσους dici queat, ut lateris morbum ἡ πλευρῖτις. Sed in ſuperioris capitis loco tota in eo difficultas vertitur, quod dicit aliquem etiam morbum eſſe per ſapientiam mori. Quid enim morbum per mortem definit? Multi moriuntur ſine morbo, ut omnes qui morte violenta ac ſubita vivis eximuntur, quibus ægris eſſe non vacat. Correctiones omnes illius loci libri veteres refutant, ſed & magis ipſarum abſurditas, quæ per ſe refellitur. Si quid eſſet concedendum, probabilius putarem, illud *mori* repetitum, ex ſequentis dictionis ſimilitudine, *morbis* adeoque expungendum, ut ſcripſerit tantum: *atque etiam aliquis morbus eſt per Sapientiam,* διὰ φρενίτιδος. Ita ſane videtur vertiſſe verba Græci cuiuſdam auctoris, aliud agens, ut alia multa, cum enim Græci φρενήρην vocant etiam virum ſapientem, putavit ille τὴν φρενῖτιν recte verti poſſe ſapientiam. Inde & *Sapientiæ ægri-*

tudinem

tudinem capite ſequenti reddidit τὴν φρενῖτιν. Vt ut ſit, vix putem, de alia ægritudine, aut morbo intellexiſſe. Hæc aut ſimilia de illis Plinianis verbis memini tum reſpondiſſe. De Sternutamento, quæ pars altera fuit Epiſtolæ tuæ, quid ſcripſerim haud jam memini, niſi, hæc, nihil poſſe addi ad ea, quæ doctiſſime obſervaſti. De re conſtat, veteres nimirum Sternutamentum ſacrum ac divinum habuiſſe. τὸ θεῖον verò non adeo in promptu, niſi rationẽ eam admittamus, quam adfert Ariſtoteles, quam tamen perite admodum elevas, & confutas. Vt in omne omnibus captandis Superſtitioſiſſimos fuiſſe antiquos certum eſt, ad cujuſque rei fortuito incidentis, & ex tranſverſo venientis occaſionem aut hominũ animaliumque, prout fauſtus aut infælix, varijs ex cauſſis, quas ſibi imaginabantur, occurſum: ita in Sternutamento bonum omen videntur conſtituiſſe, non alia, ut puto, ex cauſſa, quam quod ſalutare ipſi videretur, cui hoc evenire ideo ac preſentibus adſtantibuſque fauſtum quoque eſſe exiſtimarent, quia res auctori ſuo fauſta eſſet. In ominibus bonis, aut malis ſtatuendis multa talia, ut dixi, ima aginabantur. Quod autem Sternutamentum ſalutare putarint ei, qui ſternuiſſet, ex ipſo Ariſtotele colligi proteſt. Qua in opinione, ſive ſuperſtitione vulgus quoque Galliæ noſtræ eſſe deprehenditur. Cum enim aliquem ægrotum ſternutare audiunt, medicum ſuum ab eo dimitti aiunt Fortaſſe ex eo colligebant, impulſionem illam & concuſſionem cerebri

cerebri a ſpiritu fieri, qui vires te teſtaretur decubantis vel adhuc exiſtentes, vel de novo recuperatas. Huic ſenex Theophraſtus ſcripſit difficilius ſternuere, ob defectum nimirum virium illarum naturalium ac ſpirituum. Bonum igitur illis omen viſum eſt ſternutamentum, quia ſalubre ſternuenti id putarunt. Idcirco & ſternuentes ſalutabant, id eſt, ſalvere jubebant, quaſi rem per ſe ſalutarem, fauſtam illis foelicemque procedere precati. Plinius: *Cur ſternuentes ſalutamus, quod etiam Tiberium Cæſarem, triſtisſimum (ut conſtat) hominum in vehiculo exegiſſe tradunt. Et alioquin nomine quoque conſalutare religioſius putant.* Nempe ita ſalutabant, ut apud Petronium habetur, *Salve Gnython. Dum hæc ego jam credenti perſuadeo, Gnython collectioris ſpiritus plenus ter continuo ita ſternutavit, ut grabatum concuteret: ad quem motum Eumulpus converſus ſalvere Gnythona jubet.* Item apud Apulejum de ſternutante: *quod cum putaret ab ea profectum, ſolito ſermone ſalutem fuerat ei imprecatus.* Eodem pertinet Græcorum mos, etſi non nomine conſalutabant ſternutantes, ſed aliis verbis ſalutem iis precabantur, Ζεῦ σῶσον dicentes vel ζώσεις ut alibi obſervo. Omnibus autem ominibus & auguriis deos intervenire exiſtimabant, ac quaſi præſentes adeſſe cum illa offerentur & acciperentur, putabant. Ipſe ille Plinius noſter lib. XXVIII. cap. II. *Nam ſternutamento revocari ferculum menſamve, ſi non poſtea guſtetur aliquid, inter*

inter dira habetur, aut omnino non eſſe. Hæc inſtituere illi, qui omnibus negotiis horiſque intereſſe credebant deos, & ideo placatos etiam vitijs noſtris reddiderunt. Omina igitur illa, & auguria non ſolum à Deo præſente mitti ac offerri, ſed etiam ipſum omen & & augurium pro Deo habebant. Hinc boni auguri ſerpentem, cujus occurſus fœlix habebatur, Ægyptij ἀγαθοδαίμονα vocarunt. Alias in augurijs etiam ſerpentes ſpectari veteribus, ut ex his Heſychij conſtat, οἰωνοὶ ὄφις, σημειῶς γὰρ λέγεται ἐν ταῖς μαντείαις τοὺς ὄφεις ἔχειν, οὓς καὶ οἰωνοὺς ἔλεγον. Ad omnem porro boni ominis, aut augurij ſibi objecti interventum ſolebant adorare, vel Deo ipſi, à quo immitti & offerri hoc omen credebant, id honores exhibentes, vel etiam ipſi omini, ſi per ſe aliquid divinitatis habere videretur. Sic ille Xenophontis, quem citas, locus accipiendus: τοῦτο δὲ λέγοντος αὐτοῦ, πτάρνυταί τις ἀκούσαντες δὲ οἱ στρατιῶται, πάντες μιᾷ ὁρμῇ προσεκύνησαν τὸν θεόν. ipſum nempe ſternutamentum, quod ſacrum habuerunt, & quaſi Deum, Nam in his loquutionibus idem ferme valet pro Deo habere, & ſacrum vel divinum habere. θεὸν ἢ θεῖον τ. Nam & Græci τὸ θεῖον pro Deo ipſo plerunque uſurpant. Nero ſub finem vitæ, cum undique omnes, & Galli præcipue, adverſus eum conjurarent, levi ac frivolo auſpicio in itinere recreatus dicitur

 Sueto-

DANIELI HEINSIO
Equiti &c.
Ioh. Beverovicius. S. D.

QVod ſcribis, Vir nobiliſſime, uxorem tuam, tardius convaleſcere nihil nobis triſtius eſſe poteſt. Mea Hagam ad parentes profecta eſt, quam non impedior accerſere, nec impediri potero; uin Lugdunum excurrens animo meo ſatisfaciam, ut currentem Screvelium incitem ad fata optimæ matronæ producenda. An verò

κῆρες ἐφεστᾶσιν θανάτοιο
Μύριαι, ἃς οὐκ ἐστι φυγεῖν βροτὸν, οὐδ' ὑπαλύξαι;

An mors, & morbi plane fatales, & quiſque, ut philoſophorum quoque principes ſtatuunt, neceſſario moritur illo tempore, quod ab æterno decretum vitari, aut protelari nulla ratione poteſt? quiſque etiam inevitabili neceſſitate

τὰ πείσεται ὅσσα οἱ αἶσα
Τεινομένῳ ἐπένησε λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ

Quod ſi fatalis ille dies prorogari non poteſt, in id ſaltem omni opera incumbendum, ne vis morbi eam hinc in communem locum abripiat, πρὶν μόρσιμον ἦμαρ ἐπέλθῃ An & hoc fruſtra ſperandũ, quorſum hæc, inquies. Tango ea, quę quibuſdam pro argumento contra artis medicę neceſſitatem. Quod cum eruditorum examini ſubjecerim, vellem cum cęteris tuum quoq; judicium legi concederes. Verũ ſi id à ſacris occupationibus inpetrare non potes,

ſumme, & amare nos perge Lugd. Bat. Anno. CIↃ IↃC XXXIII. Aug. ult.

EIDEM.

CLariſſime, & amiciſsime virorum, Nondū integram calamitatem meam noſti, Rapta conjuge chariſsima, ne ea tantum parte miſer eſſem, filius in morbum incidit. Variolas nunc vulgo vocant Παρακεκινδυνευμένον planè, & qui malignitatis multum habet. Ne quid inſuper deeſſet, mihi etiam cum febre res fuit. Quo defunctum tamen ſpero. De Platonis loco non memineram, quem protinus inſpexi, Et ut credas, quid de eo ſentiam ſubjunxi. Quod ſi ocium nunc eſſet, ut ex morbo meus eſſem, quid de medicina ac illius uſu judicem, haberes. Quam qui tolluut, metuunt, ne verum Epicurus dixerit, qui providentiam particularem, ut loquuntur nunc Theologi, ſic oppugnabat. Et ſi adhibenda non eſt, quia de profectu ejus, & ſupremo ſingulorum die parum conſtat, probent prius eſſe aliquem in terris, qui hypocritas à cæteris diſtinguat, ut oportet, aut dignoſcat. Quod relinqui ſibi Deus voluit, ut ea quæ ignorat medicus. Quæ tamen fortiter premenda, ne crabrones irritentur. Nam ab his cavendum. Vale, amor meus, & amores meos ac delicias Leſnæum Comitem, verè illuſtriſsimum ac iuventutis literatæ Principem, ut me, commendatum tibi habe. Lugd. Bat.

 Anno.

Anno. cIↃ IↃ cxxxIII. Octob. xxIv.

Locus Platonis ſub Timæi finem, is eſt,

τὰ γὰρ νοσήματα &c.

Plato inter κινήσεις, quas adhiberi morbis, ut remedia voluit, nunquam, niſi cum neceſsitas id flagitat, adhibendam τὴν φαρμακευτικὴν κάθαρσιν dixerat. Quare: Ὅτι τὰ νοσήματα ὅσα μὴ μεγάλους ἔχει κινδύνους, οὐκ ἐρεθιστέον φαρμακείαις. Quod ſequitur ita vertendum erat, *Omnis enim conſtitutio morborum, cum animalium natura convenit. Morborum enim concurſus, ſingula in animalibus vitæ tenet tempora.* Hoc enim vult, diverſis ætatibus, diverſos naſci morbos, ſingulis proprios. Ita in homine, alios primæ, alios ſecundæ, alios cæteris ætatibus eſſe proprios. Quemadmodum alijs pueri, alijs adoleſcentes, alijs conflictantur viri. Sequitur deinde, καὶ κατ' αὐτὸ τὸ ζῶον, *Sed & ſingula pro eo animalia, determinatam habent vitam, niſi violenta accedant.* Violenta autem vocat παθήματα, purgationes vehementiores, & ſimilia, quæ violenter, & præter ordinem morborum naturalem, tollunt animal. Hæc eſt mens Platonis: non quam non nulli fingunt. De quo infinita poſsim. Sed nauta vocat. Vide autem quam inepte illud τοῦ τῶν ξύνοδος ad animalia tranſtulerint. Et

τὸ εἱμαρμένον non eodem modo uſurpari. Interdum enim nihil aliud eſt, quam πεπαγμένον.

DANIELI HEINSIO,
Equiti &c.
IOH. BEVEROVICIVS. S. D.

LVGDVNVM veſtram, Vir nobiliſsime, incredibili te videndi deſiderio velis remiſque citius nuperrime advolabam: diſceſsi minus triſtis, quod, vt brevi te hic viderem, jam tum ſpem faceres. Hoc nuntio inter alios, & ampliſsimum Catſium exhilaravi, qui heri Hagam ad conventum Ordinum abijt, feſto Paſchatis ad ſuos rediturus, & tecum niſi fallis, apud me apud ſe ardua negotiorum lætitiæ datore leniturus non invenuſtus.

Severitatis temperator, & ioci.

Cognatus Lugduno redux literas à te promittebat, nondum adhuc viſas; quare fœneratas expectabo, hoc eſt, ſimul ſententiam tuam de hoc Pauli loco, πᾶς ὁ ἀγωνιζόμενος, πάντα ἐγκρατεύεται quem ve-

vetus interpres magni apud te pretij, vertit, *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.* Et Beza. *Quiſquis certat, in omnibus eſt continens*; additque in annot. exquiſitiſſimam fuiſſe gymnaſtarum diætam de qua tamen aliter Hippocrates Galenus, alij, & poſt antiquos Mercurialis. Te rogo, *V.* C. nihil interrumpat promiſſum adventum, ſi nos amas, præter hoc reſponſum, quod videre, & te amplecti unicè exopto. Vale. Dordrechti XXI. Mart. CIↃ IↃ CXXXV,

IOHANNI BEVEROVICIO,

DAN. HEINSIUS. S. D.

Ampliſsime Domine, Accepi literas, quibus ad urbem veſtram humaniſsime nos vocas. De quo nihil certe hactenus conſtitui. Ipſe Ampliſs. Catzius, mox abiturus, ut ex ipſo intellexi, eo venturus eſt. Hagæ enim habet quod agat Et tamen dici non poteſt, quam calidè, vel obiter, adeſſe vobis optem. Cæterum quod ad Paullinum locum, nemo eruditius te dubitat. Et bene qui continentiæ, qua voce interpres utitur, τροφὴν βίαιον, & ἀναγκοφαγίαν apponis. Athletas quidem usu Veneris abſtinuiſſe, nemo eſt qui neſcit, quemadmodum hanc continentiam Apoſtolus, & alij, vocare ſolent. Notum eſt illud,, Εἰ δὲ ὐκ ἐγκρατεύονται, γαμησάτωσαν. Et ita paſsim ἐγκράτεια. Illud

Illud autem non cogitabant, ipſam ἄσκησιν, ejuſque labores, quos ſubibant, ita dici. Eruditiſsimus Veterum Heſychius, Ἐκράτεια ἄσκησις. Nobiliſſimum Henrici Stephani Gloſſarium, Ἐγκράτεια Continentia Tenacitas. Ecce, etiam tenacitatem dixit. In laboribus nimirum perferendis. *Coguntur, cruciantur, fatigantur, athletæ*, inquit Tertullianus. Quare. ut fortaſſe ἐγκρατεύεσθαι de ſola Venere dixiſſet, ita manifeſte aliud eſt, πάντα ἐγκρατεύεσθαι. Reddendum igitur, non, *in omnibus eſt continens*, aut, *ab omnibus ſe abſtinet*. Sed, *omnia perfert*. Laborum enim pertinaciam intelligit, καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Vnicum quod à te flagito & peto, eſt, ut me ames. Vale. Vir Ampliſsime. Lugd. Bat. An. CIↃ IↃ C XXXV. Mart. ter.

ANDREÆ COLVIO,
Theologo Dordrechtano.
CLAVDIVS SALMASIVS. S. D.

REverende & clariſsime vir, De loco Apoſtoli, quod exemptum tibi vis ſcrupulum, motũ ex his verbis 1. Cor. 9. 25. πᾶς δὲ ὁ ἀγωνιζόμενος πάντα ἐγκρατεύεται, aliud dici non poteſt, quam ab exactiſſima Athletarum, diæta petendam ejus interpretationẽ dideri, nihil crebri⁹ eſt apud antiquos ſcripturas quam ἀναγκοφαγίας & ξηροφαγίας Athletarum, adeò ut etiam antiqui Monachi ob regulæ ſtrictę & propoſiti auſterioris obſervantiam ἀθλητάς ſe ipſi & ἀθληλητάς indigetarint, quo nomine vocati ſunt antiqui

antiqui gymnaſtæ. Vel ſi verſus Horatij fidem facere poſſint, quam multa ac dura paſſi ſint vulgo Athletæ in victu ſuo, & tota exercitij ratione:

Qui cupit optatam curſu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer ſudavit & alſit,
Abſtinuit venere ac vino.

Puer ille ἀθλητὴς eſt. Certis horis comedebant, & ſemper ad præſcriptum. certis cibis abſtinebant, juruleutis præcipuè ac ſucculentis. Vnde illorum ξηροφαγίαι celebratæ. Magnam tamen molem corporis ſibi inde comparabant. Quid mirum? Solum nempe corpus exercebant. Inde eſt quod Polientinos & Carthuſianos, qui admodum auſterè vivunt, plerumque etiam videamus ſatis corpulentos & obeſulos, quia certis horis ſemper bibunt ac comedunt, & ſemper eadem menſura, quod & antiquis athletis uſitatum fuit. Plura, quibus hoc confimarem. teſtimonia adderem, ex antiquis petita, præcipue Arriani diſſertationibus, & alijs patrum ſcriptis, quibus hoc evincitur. Tractatum de ea re plenum habeo ferme paratum, in libro de ordine monaſtico, ubi illas voces ἀθλητῶν & ἀσκητῶν multis expono. Leydæ VII. Kal. Aprilis CIↃ. IↃCXXXV.

CLAVDIO SALMASIO,
IOH. BEVEROVICIVS. S. D.

NObiliſſime Domine, Roma mihi nuperrime à Naudæo, viro in omni diſciplinarum genere

nere; ut noſti, apprime verſato, prolixæ de communibus ſtudiis literæ, cum lemmatis capitum, quæ tractat in Syntagmate de ſtudio militari, quæ hic vides. Miſſurus mox ipſum illud Syntagma, ubi ab authore, uti prima occaſione promittit, accepero. Opus hoc quarta luna non natum judicari ſcribit apud Italos, noſtrorum quoque judicia exploraturus. Credo te idem argumentum, in quo te nunc verſari indicaſti, diverſa methodo, & alijs præceptis inſtitutiſque ex omni antiquitate proſequutum. De Epiſtola, quam ad me dediſti de Vitæ humanæ Termino, quid deſiderantibus dicam, non habeo, niſi cum fœnore prodituram. Sed quando? Iuxta cum illis ſcio. Vtinam ſequatur ipſo de fænore diatribam, quæ brevi, ut audio, prodibit in lucem. Pro tam ſolide explicato Hippocratis loco plus iterũ me tibi debere intelligo, quam exolvere, unquam poſſim. Sed grat⁹ ſum, ſi, quod docet Seneca, qui non libenter debet, ingratus eſt. Quidni autem de verbis medicorum principis te conſulam non medicum qui etiam de militia & fænore ad amuſſim ſcribis, nec miles, nec fœnerator? Eſt locus Plinij, quem citavi in Idea Medicinæ, & à te explicari optem: *Capita aperiri aſpectu magiſtratuum non venerationis cauſſa iuſſere maiores, ſed, ut Varro author eſt, valetudinis, quoniam firmiora ea conſuetudine fierent.* At venerationis gratia id potius fieri, non videtur vero diſſimile

mile, quia caput eſt pars corporis maxime, ut loquuntur, divina. Non poterat itaque cuiquam, major, quam ea nudata, & veluti alteri in poteſtatem tradita, honos exhiberi. Huic fortaſsis, & corpus demittendi, & genua tangendi mos hodie in Gallia veſtra pæne peculiaris ſalutantium, qui olim erat ſupplicantium, uti liquet ex diverſis locis Homeri, Virgilij, Euripidis, Plinij, Claudiani, aliorum, Cælius quinetiam Rhodiginus III. Ant. Lect. XXIII. quibus exhibeatur reverentiæ cultus, ijs caput aperiri, ob cauſſam, quam dixi, aſſerere non dubitat. Et rationi conſentaneum eſſe ſtatuit Plutarchus in Quæſt Rom. Vt quemadmodum adverſus hoſtem caput tegimus, ita amicis & præſtantibus hominibus obviam dati idem nudemus. Equidem non eo inficias, caput aſſiduo tectum, infirmius reddi. Hinc Perſis cui adeo Fragilia ſint capita, ut vel calculo perforare poſsis, id in cauſſa eſſe ſcribit Herodotus Thalia, quod à principio aſſueti ea àperire, geſtantes pilea, tiaraſque. Hac ratione & hodie Perſarum, & Turcarum capita admodum eſſent debilia. Sed perpetuo operta, ſalutandi modo cauſſa aperire, quo modo id multum ad robur faciat, non videre me ingenue fateor. At in ijs, qui ſemper nudo inceduut capite, alia res eſt. Hic nemo miretur Naſimiſſam, qui ut refert Cicero Catone, nullo unquam imbre, nullo frigore, adduci potuit, ut caput tegeret, ea conſuetudine relatum inter duros capitones. Scribit Herodotus

l.cit.

l. cit. Ægyptiorum capita tam valida fuiſſe, ut vix ictu lapidis elidi poſſent: ejuſque ſibi videri cauſam ab alijs allatam probabilem, quod Ægyptij ſtatim à pueris radere capita inciperent, & os capitis ad ſolem redeatur compactum. Mauri adeo firma dicuntur habere capita, ut eorum κράνιον, non os, ſed vere κράνος eſſe videatur. Quod cum exploratum haberent Hiſpani (veluti narrat Aloyſius Cadamuſtus) militibus in expugnanda inſula S. Thomæ, Angola, & alijs, interdixere, ne incolarum capita ferirent: nam ictus omnes, tanquam ſaxo incidentes, ipſos gladios repercuſſu diſrumpebant. Tu, Nobiliſsime domine, quem nihil latere poteſt, ſi me hic etiam, tuo commodo, docere dignaberis, uetera tua in me beneficia novo cumulabis. Vale, Deus literarum, & nil virtutum tuarum cultorem favoris tui aura beare perge. Dordrechti kal. Novembr. CIↃ IↃ CXXXVII.

IOHANNI BEVEROVICIO.

CL. SALMASIUS S. D.

Ampliſsime Domine, gratias ago ingentes pro titulis Syntagmatis Naudæi de re militari quas tibi remitto. Duo jam menſes eunt, ex quo eos ab amico Pariſienſi accepi. Librum ipſum expecto quotidie, qui datus eſt uni ex comitibus ſive miniſtris noſtri novi legati, qui Caletis eſſe dicitur, brevi cum ventus faverit venturus. Rem veterem mili-

militarem non attigit, neque Romanam, neque Græcam, ſed tantum hodiernam. At in illo præcipue, campo decurro. Non igitur concurremus. De termino, noli te fatigare, ego certe aliquando reddam, & quidem cum fœnore, niſi Deus terminum huic vitæ breviorem ſpe mea ponat. Liber de uſuris eſt in fine. Tria aut quatuor capita reſtant. Tum ſequetur alter de modis uſurarum,non mole minor, neſcio an fruge. De loco Pliniano ſic mihi videtur. Cenſuit Varro non venerationis cauſſa juſſiſſe majores capita aperiri aſpectu magiſtratuum, ſed valetudinis, ut hac conſuetudine firmiora redderentur. Non venerationis, inquam, nam ſi hoc ſpectaſſent, non aperiri,ſed potius operiri jubere debuerant. Nam deos adoraturi caput velabant. Qui deos adorabant, capita velare ſolitos Romano ritu,non es docendus. Occurrit locus in Vitellio apud Suetonium, quem dicit miri in adulando fuiſſe ingenij, adeò ut primus C. Cæſarem adorari, ut Deum inſtituerit, *Cum reverſus ex Syria non aliter adire auſus eſſet niſi capite velato,circumvertenſq; ſe, deinde procumbens.*Rationem puto reddit Plutarchus in Quæſtionibus Romanis, cur honos exhiberetur hominibus capite aperto, dijs operto. Cum contraria ſint hæc venerationis argumenta, & certum ſit illud,quo Dei honorantur,inde Varro commentus eſt non venerationis cauſſa juſſiſſe majores capita aperiri coram magiſtratibus, ſed valetudinis.Vale Vir Ampliſſime,& me amare perge

Leydæ v. Novemb. CIↃ IↃ C XXXVII.

CLAUDIO SALMASIO

IOH. BEVEROVICIUS.

S. P. D.

REdux à vobis &c. Vehementer deſidero tuam ſententiam de Hyſſopo, cujus ut in ſacris literis crebra mentio, ac imprimis ubi dicitur Salomonem diſputaſſe ſuper lignis à cedro, quæ eſt in libano, uſque ad Hyſſopum, quæ egreditur de pariete, nam de vulgari noſtra Hyſſopo, herba puſilla, ſumi non poſſe videtur. Lemnius eo nomine Adianthum, alij ex Hebræo Eſop, Rorem marinum exprimi volunt. Malim Hyſſopum fruticem intelligere, qualem in horto meo habeo, duorum pedum altitudine, altiorem proculdubio in terris Orientalibus, ita ut admoveri potuerit, (cruce non tantæ altitudinis, quam fingunt pictores) ſtipes ejus ori cruciarij, *οἱ δὲ πλήσαντες*, inquit, Euangeliſta, *σπόγγον ὄξους, καὶ ὑσσώπῳ περιθέντες, προσήνεγκαν αὐτοῦ τῷ στόματι*; niſi forte eo loco pro *ὑσσώπῳ* ex ingenioſiſſima magni viri conjectura, legendum ſit *ὀισύπῳ*. Quid hic ſtatuendum ſit, ex te ſcire aveo, quem ex animo ſalvere jubeo. Dordrechti IX. kal. April. CIↃ IↃ C XXXV.

IOHANNI

IOHANNI BEVEROVICIO,

CL. SALMASIVS. S. D.

NOli mirari, Vir Ampliſſime, quod nihil eorum tibi dixerim, quæ aliunde ſcribis accepiſſe, cum apud me nuper eſſes. Scire illa te putavi, quæ pervulgata jam erant, tam inter malevolos, quam benevolos meos. Deinde quod alia eſſent meliora dictu, quibus præverti volebam, ideo vel tacenda omnino credidi, vel poſtremo dicenda, prout tempus ſe dediſſet. Iam enim ſerum erat diei, cum ad me veniſti. Præterea quid attinebat male feriatis nugis tuas doctiſſimas onerare aures, cum nec melior, nec doctior, audita ambitroſa illa φιλοπρωτίᾳ noſtra diſceſſurus fores. &c. Mario typographo ſignificavi ne diſſolveret tabulas compoſitas de Vitæ termino, me enim in animo habere ſtatim poſt abſolutam meam militiam Romanam, termino illi finem ac terminum figere. Si redeo in Gallias, quod ab noſtrorum Curatorum decreto pendet, ibi curabo edendum illud opus, cum tua Epiſtola, aut prout ſtatues. Nam priuſquam hinc diſcedam, te videbo. De loco Iohannis variæ fuere hactenus ſententiæ doctorum hominum, nulla tamen adhuc minus probanda extitit, quam viri magni à te citata. Scis apud medicos

dicos tuos, qua Græcos, qua Latinos Oeſypum eſſe ſordes ipſas, ac pinguem illum ſuccum ab lana abſtractum. At ille putat idem eſſe οἴσυπον cum ἐρίῳ οἰσυπηρῷ. Habeo locum Origenis ex ſcripto ejus non edito, ubi ὕσσωπον accipi docet pro calamo, & virga Hyſſopi. Verum Hyſſopum ſurculoſum & ligneum eſſe alibi oſtendo. Ex crucis modica altitudine nos ſcimus, non longa fuiſſe opus, nec firma nimis virga ad os cruciarij attingendum, & ſpongiam propinandam. Plura nos de eo alias. Nunc vale Vir Ampliſſime, & me ama. Leydæ VII. Kal. April. CIↃ IↃ CXXXV.

CLAVDIO SALMASIO

IOH. BEVEROVICIUS. S. D.

Nobiliſſime Domine, Cum nuper ob ſubitam affinis apud vos ſtudioſi ægritudinem Lugdunum mihi advolandum eſſet, quamvis jam Hagæ intelligerem eum pœne convaluiſſe, volui tamen ſuſceptum iter perficere, ut præſens præſenti quod hactenus in literis feceram, manus deoſcularer. Cujus voti compos factus nihil habui antiquius, quam ut, quod promiſeras, domi meæ exciperem tantum hoſpitem. Et licet nunc bella occaſio eſſet, integræ ſanitati tandem reſtituto, tamen id impetrare non potuiſſe ſe retulit D. Elichmannus, qui etiam de Reſponſo tuo nimium dilato nihil nuntiabat.

Quare iterum rogo, obſecroque ne nos animi pendere ſinas, meque liberes à flagitationibus amicorum, qui impatienter tuum adventum deſiderant. Interim non poſſum tecum non communicare dubium, quod, cum à te diſceſſiſſem forte movebatur apud amicos, cum illis valedicerem. De voce ſcilicet Ramex, pro hernia uſurpata. Et ut Herniam, ἀπὸ τοῦ ἔρνους, ita Ramicem à ramo, veteres per laſciviam appellaſſe, quod inteſtinum cum in ſcrotum deſcendit, ramum facere videatur, ſcribit magnus Scaliger Comment. in Catalecta. Noſti medicum, quem fere Plauti animam vocare liceat, ita ſingula pœne comici iſtius verba in numerato habet. Statuebat is communiter quidem Ramicem ſumi pro hernia, apud Plautum tamen Ramices vocari venas pulmonis, hoc nimirum loco in Mercatore, ubi ſervus Acanthio currendo defatigatus ita loquitur

placide volo acquieſcere,
Tua cauſſâ rupi ramices, iamdudum ſputo ſanguinem.

Reſpondet Charinus, tanquam ἰατρεύσων,

Reſinam ex mello AEgyptiam vorato, ſalvum feceris.

Ac quamvis lexicographi hunc, & alterum locum è Pœnulo citent voce Ramex, pro hernia: neutiquam tamen id medicamentum convenit herniæ, at optime ſputo ſanguinis, utpote abſtergens, & ſanans. Hic iterum aberrantibus viam monſtrare, & mea ſtudia fovere ne graveris, unice te rogo. Vale. Nobiliſſime Domine, & vive fœliciter.

IOHANNI

IOHANNI BEVEROVICIO
CL. SALMASIVS. S.

AMpliſsime Beverovici, Si quiſquam unquam venia ſe indignum ſenſit & tamen petere non erubuit, ab illo præſertim quem facilem dandæ putavit, is ego nunc eam a te peto. Quid vis amplius, confitentem habes reum, loqui fortaſſe magis merentem cui ignoſcatur quod culpam nec excuſat nec deprecatur, ſed aperte ac ingenue fatetur. Abduc vinci verbera, tuo huc quamcunque pœnam voles imponere, æquo animo feram omnia quia plura his & majora meritum me ſcio ſupplicia. Quod enim contra mutire aut hiſcere auderem, quid cauſe afferam. An ab eo tempore quo tuas poſtremas accepi occupatiſsimum me fuiſſe dicerem. Verum equidem dicerem, ut nulla tanta occupatio nulla etiam tanti, cui aut quadrantem horæ ſurripere non potuerim, aut quam non poſtponere debuerim, reſponſo tuis dando. Quocunque igitur me verto, nihil excuſationũ occurrit, ſaltem idonearum aut legitimarum. Melius itaque fuerit ac honeſtius ut compendium faciam mei expurgandi cum nulla ad hoc ſuppetat via, ſed criminis veniam in tua facilitate & humanitate totam reponam, dum tamen vel tuo permiſſu hoc addam cauſam unam unicam hanc mihi, fuiſſe

cur ad te non reſcripſerim,quod ſperarem me mearum ipſummet tabellarium futurum. Id ſanę percupiebam & faciundum fuit, ſed ſcis non ſemper bonum euentum noſtris optatis ſuccedere, Vt & ſic mihi accidit preter animi voluntatem ac decretum quîdem ut putabam,certiſsimum.Nunc cũ videam ſpem illam te videndi intra hunc ſaltem & alterum menſem devolaſſe, mihi hunc δευτερον πλȣν tentandum eſſe ſtatui quo hoc tibi indicarem & ſi poſſem ſatisfacerem. Falleris enim ſi putas hoc mihi volenti accidiſſe ne te viderem, ut mihi ad humiles preces nunc decurrendum ſit quibus id factum nolle & pœnitere coactus & invitus dicam. Mallem vel ter te inviſiſſe quam ad hoc deſcendere. Ex animo igitur dicto credas vel etiam ex eo colligas animum mihi fuiſſe te inviſendi, cũ illam mihi quod non fecerim, caſtigationem imponam quam longe graviorem itinere quo ad te pergendũ fuit ad difficiliorem cenſeo. Statim poſt recuperatam valetudinem ut ambulare potui & aerem ferre,Hagam ivi ea ſpe ut etiam inde ad te rectà.Sed uxor una mecum aderat cui certis de cauſis quæ inopinato excitæ ſunt Leydam, redeundum fuit. Sequenti ſeptimana adpetebant nundinæ Amſtelodamenſes. Invitauit me & uxorem Clariſsimus Voſsius per litteras ut occaſione nundinarum vel eam maxime viſendam ampliſsimam urbem accederemus.Lente promiſeram cum ecce in ipſa dubitatione nec opinantem oppreſsit, &

fruſtri

fruſtra moras nectentem cauſaſque alligantem per vim ſecum abduxit. Inde redux volebam ad te & animus eo volabat, cum mihi deſubito novæ compedes injectę quę domi, huc uſque retinuerunt. Vxor jam tum erat prope terminum non illum tuum cuius finem adhuc videre non potuimus & neſcio quando viſuri ſimus, ſed ejus oneris quod in ventro portat, ac nondum emiſit. Sic æquè fallax illa ut ego in termino ſuo deſignando. Credebat jam tum tamen ſe propinquam eſſe partui ac verebatur ne ſi mecum iret in navicula ſarcinam effunderet aut apud te ſanè deponeret. Potuiſſem viam ſolus conficere, etiam voluiſſem, ſed ſolito in his locis meticuloſior quod nullas hic habeat matronas affines aut propinquas aut amicas, noluit me abſente ignotis ſe committere præcipue hoc anno quo tam multi difficiles ac periculoſi nixus undique ipſi nunciati ſunt. Hæ veræ ſunt cauſæ meæ ceſſationis quas ſi non ducis ſonticas & idoneas ego quod contra dicam non habeo. Sed quæ tua facilitas eſt, his facile te acquieturum confido. De Ramice quam proponis quæſtionem non æque arduam exiſtimo atque illa dudum a te fuit propoſita de termino fatali. Non dubium quin Ramex optimis & claſſicis auctoribus ſit herniæ genus. Etymon ipſum vocis id clare oſtendit eam eſſe herniæ ſpeciem quæ ramo ſimilis ſit. Ex omnibus generibus quam Græci κιρσοκήλην vocant qua venæ intumeſcunt & ramulos referunt, eam Latini ramicem ap-

pellarunt, teſte Cornelio Celſo lib. VII. Plinius non aliter hanc vocem uſurpavit, Iuvenalis etiam manifeſte herniam intellexit hoc verſu: *Iacet exiguus cum ramice nervus.* Lucillius apud Nonium his verſibus de hernia planè exponendus:

Quod deformis ſenex arthriticus ac podagroſus,
Et quod mancus miſerque exilis, ramice magno.

Varronis apud eundem verba in eum ſignificatum rapienda omnino ſunt: *Rapta a neſcio quo mulione raptoris ramices rumpit.* Scis enim hernioſos non valde iuvari ſi in venerea palæſtra vehementius deſudent. Facile illo opere rumpuntur ramices. Loquitur de rapta quadam formoſula quæ raptoris ſui ramices rumpebat. Nihil etiam magis nocet ramicibus id eſt hernijs quam ſpiritum ex alto collectum cum vi & contentione emittere ut faciunt tubicines tibicineſque. Hinc raros hodie videri eſt tubicines qui non ſint hernioſi. Idem fatum fuit & tibicinum olim. Quare & illa verba Varronis apud Nonium de hernijs capienda: Priuſquam in *Orcheſtra Pithaules inflet tibias, domi ſuæ ramices rumpit,* Domi nempe meditatur tibicen & id ipſum domi canit quod poſtea in orcheſtra tibijs eſt incenturus. Ideo & domi ſuæ ramices rumpit priuſquam rumpat in theatro. Cum tot probati auctores & antiqui non aliam ramicis notionem agnoverint an credibile eſt Plautum aliter ea voce uſum eſſe? Non fit mihi veriſimile. Veterum auctor Gloſſarum ſemper ita exponit, *ramex* ἐντεροκήλη. Nunquam

in

in pulmonis ſignificatione apud eum legitur. Alio loco ἐντεροκηλη ramis, ramix, & ἐντεροκηλητης *ramicoſus*. Arnobius ita etiam uſurpavit. Alia Gloſſa: *ramex* κήλη. Sed Plauti locus contrarium innuere videtur immo idem ſi recte capiatur:

placidè volo acquieſcere,
Tuâ cauſâ rupi ramices, iamdudum ſputo ſanguinem.

Duo ſunt non unum, & rupit ramices & ſanguinem hic ſputat. Quod unum ex acri contenta & longa curſura evenire certum eſt. At quod ſequitur, *reſinam ex melle AEgyptiam vorato, ſalvum feceris*, remedium eſt, ad ſanguinis rejectionem non ad ruptos ramices aut herniam. Nam ad herniam nullum occurrebat præſens remedium quod ipſi indicaret, ideo ad ſolam ſanguinis ſputationem ſanguinis monuit ut eo remedio uteretur, quod facile erat atque in promptu. Vide doctum hominem qui inter ramices ac ramicem diſtingueret, & ramicem vellet eſſe herniam, ramices venas pectoris ſive pulmonis, Fruſtra Ramices, venæ illæ ſunt quæ intumeſcunt in κιρσοκήλη. Nec aliter ſumendum & altero Plauti loco quem citavit Nonius e Pœnulo:

Neq; nos quemquam flagitamus neq; nos quiſquam flagitat,
Tua cauſa nemo noſtrum eſt ſuos rupturus ramices.

Contentione enim vocis etiam hernia fit. Quod adeo verum eſt ut ſciam Charthuſianos qui ſtantes in Eccleſia diu & iteratis vicibus multis de die no-

ctèque in Eccleſia canunt, iſti morbo eſſe plurimum obnoxios. Quod ex nonnullis aliquando audivi. Hæc de ramicibus. De reſinis Plinianis in ea Epiſtola dixi qua tuis reſpondi de Termino vitæ ſciſcitantis, id & habebis quando exibit illa Epiſtola, quam non decrevi premere, Sed nondum maturitas ejus advenerit. Dicam cum advenit, interim ama me, & vale. Leydæ ipſo Martini die CIↃ IↃ CXXXIIII.

IOHANNI BEVEROVICIO,

ſenatori, & Medico Dordrechtano,

LAZ. MERSSONNERIVS,

S. D.

DVm res aulicæ extra Lugdunenſe ſolum me hic detinent, Excellentiſſime Beverovici, & ſæpius viro reverendo M. Merſenno noſtro occurro, venit in mentem emortua pœne, propter conſortium literarum intermiſſum, gratiſſima doctis omnibus, ſed mihi præſertim, tui memoria, oblataque tabellarij ad vos feſtinantis occaſio hæſitantem excitavit, ut utiliſsimam mihi, & jucundiſſimam tui conſuetudinem per epiſtolam revocarem, ac crebro intelligebam, dum in hac urbe hæreo, te aut morbo, aut rei familiaris, ſive præter modum aucta negotiorum ratione impeditum fuiſſe,

ut

ut ſcriberes, quo iſtud, quod inter nos eruditæ amicitiæ fædus tam firma compage compoſitum erat, fere diſſolutum videbatur, ſeptimus enim, vel forte nonus menſis elapſus eſt, à quò tuas literas expecto, tuamque de doctrina noſtra tuo hortatu de Calculo conſcripta ſententiàm. Vereor ne illud noſtrum de Calculo epiſtolium fuerit interceptum, cujus exemplar aliquot Medicis & Philoſophis noſtris lectum adeo perplacuit, ut nomen Epiſtolæ voluerint in Indice noſtrorum M. SS. cum Doctrina Nova, & Arcana hoc anno incipiente Lugduni edito, locum habere. Tu, Vir clariſsime quid rei ſit, ſerio, & ſtatim moneas, directis ad R. V.D. Merſennium literis, opto; & ſimul quando prodibunt, iſtæ Nobiliſsimæ virginis à Schurman Epiſtolæ ad te de Vitæ termino ſcriptæ, ac ſecunda ſingularis tui de Calculo tractatus editio. Hoc ſi preſtiteris, rem gratiſsimam feceris, homini qui tibi vivit addictiſsimus. Raptim, Lutetiæ Pariſiorum, die 1. Sept. CIↃ IↃCXLI.

LAZARO MERSSONNERIO,

Medico Lugdunenſi,

IOH. BEVEROVICIUS. S. D.

QVas ipſis Kalendis ad me dediſti; Vir celeberrime, quinto poſt die eas accepi magno, imo ingenti, ne quid diſsimulem, animi gaudio. Quis

Quis enim adeo ab omni humanitate alienus, qui non mirum in modum ſuſpiciat tantã humaniſsimi viri benevolentiam? Quis tam averſus à Muſis & Gratijs, qui non ſummo cum plauſu ſibi gratulabundus, exoſculetur manum in literis, quas dearum illarum auſpicijs exaravit ὁ χαριέστατος αιȣσα-γέτης? Quare non eſt, quod ſuſpiceris ullam negotiorum molem tanti eſſe apud me ponderis, quam non amicitiæ tuæ, omnibus votis exoptabili, lubens poſthabeam. Neque ego ei fovendæ defui, reſpondendi negligentia; Sed iſte curandi, qui id ſuſceperat. Tu verò expoſtulando prævenisti tempore, non cauſſa. Quam ſi nihilominus juſtam in te eſſe agnoſcerem, tanquam amicum ob noxiam caſtigante, non injuſtam quoque in me velum habeas, ob immeritàm noxiã. Sed deſinamus mollium querelarum; inprimis cum meliori fato ad me perlata ſit aurea illa Epiſtola de Calculo, quã me doctrina, & experientia augere dignatus es. Merito ſane opus hoc maximi faciunt ſummi apud vos tum medici, tum philoſophi, ideoque maximo rogant opere, ne id apud privatos Lares deliteſcere ſinas. Sed ego juſtum eorum deſiderium jam præveni, & privatim ad me ſcriptum; ut publico prodeſſet, in publicum dedi. Et quamvis nobis inuſitatus, & nec præ feſtinatione ſatis expolitus character, multum negotij exhibuerit cl. Vorſtio, Medicinæ profeſſori, qui editioni præfuit, & τυπο-θέτῃ omnia tamen emendata prodiere elegantiſſimis

ſimis Elſeviriorum typis. Vidiſti proculdubio Nob. Salmaſij interpretationem Aphoriſmi Hippocratei de Calculo, qua meam pluribus refellere conatur. Ego,pro me paucis reſpondi, ſub titulo Exercitationis, hoc primo vere excuſæ, cui literarum ſubjunxi Spicilegium,in quo et binæ tuæ Quæ velim, me curante, ad fontem redire poſſint. Sed Lutetiam à typographo miſſum jam diu, vix dubitare me ſinunt illi, qui Muſarum victimis litare ſatagunt ἑρμῇ τῷ κερδῴῳ. De conformationis vitio in generatione Calculi, & Spiritu congelante, nihil adhuc legi accuratius ; de quibus & ipſe fuſius, ubi Pentagonum tuam videre dabitur Cum Naudæi, Liceti, & aliorum Epiſtolis de Vitæ termino, edita &Nob. Siſurmanę apud Ioh. Maire ante biennium, & hoc anno apud Elſevirios ejuſdem Diſſertatio, de Ingenij muliebris ad, Doctrinam, & meliores Literas aptitudine, auctior,& multo,quamLutetiæ excuſa fuerat,emendatior. Si mittendi fuiſſet occaſio, inter primos habuiſſes Alteri editioni libelli mei de Calculo nihil inutilis moræ mora affert, accreſcentibus interea Obſervationibus, Ex illis nuperam hiſtoriam,ne inanibus te obtundam literis,addere placet.

Filia primarij apud nos Senatoris quadragenaria,jam quinque & viginti annos doloribus nephriticis miſerrime vexata,plurimos,ſubinde calculos excrevit, diverſi diverſo tempore coloris,

rubicundos,

rubicundos, fuſcos, albidos, nigricantes. Ante triennium circiter, cum ob proximi incendij rumore, ſubito terrore percelleretur, in ſymptomata parturienti plane ſimilia incidit, ac obſtetricante dolore ex reſerato, tanquam uteri, veſicæ orificio, multum calculorum ex *κατεῤῥύη ἐπὶ τὴν γῆν καὶ ψόφος ἐγένετο, in terram cum ſonitu defluxit*. Lubet hic Hippocratis de excuſſo conceptu verba uſurpare. Non enim hos lapides aliter tum veſica, quam fœtum

in luminis oras

Nixibus ex alvo matris natura profudit.

Partus hujus poſtero, & ſequenti die pari fere vehementia dolores denuo oborti, parem fere (viginti circiter fuerant) calculorum numerum expulere, quorum majores nucem avellanam cum putamine plures nucleum æquabant, minores reliqui, omnes ſolidi & rubicundi. A quo tempore menſes aliquot immunis à nephritide vixit, donec iterum (quod in promptu cauſſæ eſſet) novi concreſcerent, & cum cruciatu eijcerentur. Ita miſerrimam vitam ad extremum traxit diem, quo & vita, & dolore liberata eſt. Diſſecto cadavere vidimus dextrum Renem (de cujus præcipue cruciatu multum olim, poſtremo vitæ tempore, nihil conqueſta fuerat, nervorum ſcilicet ſurculis jam conſumptis) plane computruiſſe, ſiniſtrum longe ſolito majorem, flaccidum, colore & ſubſtantia pulmonis carni ſimillimum tumidum, atque follis inſtar extenſum, ſed ſcalpello leviter tactum, purulento ſero exiliente, detumeſcentem.

Intus

Intus repertum Renis parenchyma plane corroſum & anguſtiæ iſtæ, inter papillares carunculas, & ureteris canales, admodum dilatatæ calculis, quædam craſsiori àrena & fuſca, quædam(quorum manifeſtam concluſionem,quoties corpus moveret,ab abſtantibus non exaudiri, ægra mirari ſolebat)ejuſdem coloris, ſed variæ figuræ,& magnitudinis refertæ, maximus glandis mole, & forma. Qui,ut & minores imponere (quod nonnunquam ab impoſtoribus fieri Lithotomus noſter narrat) poſſent vel ſagacioribus. Nam figura, colore, ſubſtantia non ficus ficum,ut eſt in Græcorum proverbio,magis referunt,ac perfecte exprimunt lapides Bezoar occidentales, quos itidem ex varijs quam illi laminis,ut & calculo)noſtros prioribus alijs accreſcentibus conſtare obſervamus. Hæc tot annos excreverat copioſas arenas,quæque in urinis ſubſiderent ψαμμώδεα, imo, pluribus ante obitum diebus, ramenta(ut manifeſte apparebat) calculorum, quod tantum poſſunt plures ſe mutuo atterentes,

& attritos verſans urina lapillos.

Hoc in excitatione ad incomparibilem Salmaſium ex Hippocratis doctrina comprobavi. Sed nec arenæ, nec ramenta hic dedere ſignum calculoſæ veſicæ,quæ ſana,& integra nec calculum, nec ullum calculi exhibuit veſtigium. Precor ut valeas. Virorum amiciſsime,&

Mutuus abſentem te mihi ſervet amor.

Dordrechti v. Eid. Sept. CIↃ IↃ CXLI.

IOHANNI

IOHANNI BEVEROVICIO,

LAZARVS MERSSONNERIVS

εὖ διάγειν.

Excellentiſſime Domine,

Pervenerunt huc Tuæ literæ VI. Kal. octobris, quas ad me perferri ſtatim curavit Rever. P. M. Merſennus noſter, vir non ſolum ob illam, qua pollet in vniverſo rerum ἐπιςημονικῶν genere variàm quidem, & multiplicem cognitionem, ſed propter ſingularem maxime γνώρισιν quà ſibi doctiſſimos quoſque toto orbe devinxit, eruditis omnibus commendatiſſimus. Reſpondiſſem recedente poſt biduum ad vos qui ſolet hinc excedere ſeptima quaque die tabellario, niſi me totum lætitia mihi ſurripuiſſet amiciſſimi nominis repetita lectio, aut qui ſuavius eloquar, hominis mihi multis nominibus chariſſimi recurrens ab epiſtolæ meditatione dilectiſſima memoria. Libere dico eo quod Hebræorum Magiſtri παροιμιακῶς habent, *Animi nuncius eſt Sermo*. Tu, quem ego non ſolum publica fama doctiſsimum novi, ſed etiam ab illa ſerva vanitate, quæ Philoſophicæ libertati adverſatur, & quæ à me, denegato novo vitio à veteribus ipſis nomine, Græce ut mollius efficta voce, παλαιοπαθεια ſolet appellari, ſenſu

ſu ab authoritate recedente alienus: Tu, inquam, unus es mihi inſtar omnium, quem noſtra in arte Phœnicem agnoſcam, cum quo nuſquam peritura veritas, ſenili coniecturarum mendacium ſitu obſcurata, ſacris ignibus, & puriſsimo rogo purgata renaſci videatur. Perge, & eximijs laboribus artem ſalutiferam πολὐιδρις ac vere φιλόσοφυς qualis Hippocrati noſtro fuit ἰσόθεος ad eum gradum, quem ſolæ illæ inter humanas diſciplinas, quæ Mathematicæ nominantur, gloriari ſolent, fauſtis conatibus, cogitationibus eximijs, ſolertiſsimiſque, quibus digniſsimus es, obſervationib⁹ promovere ne deſine. Ac ſaltē Typographos veſtros excita, ad nos elegantiſsimos illos libellos mittant, qui D. Vorſtij Med. Prof. curis à te nuperrime prodiere: neque enim hactenus mihi viſa eſt illa tua nobilis ad nob. Salmaſium pro tua defenſione Exercitatio, licet hic evulgata jamdudum proſtet, & a me lecta ſit docta illius hominis, πολυμαθῶς ſane ſingula tractantis, ſed, mea quidem ſententia Medicæ fidei, quam per ſolam πρᾶξιν in artis operibus Phyſiologicis, Pathologicis, & Therapeuticis conſequimur, non plano conſentiens Iuterpretatio. Deeſt etiam poſtrema tuarum, aut certe ab ijs, qui ſe tuas eſſe contendunt ad te tranſmiſſarum de Vitæ termino Epiſtolarum editio, quam diu apud bibliopolas, ſed incaſſum, hactenus perquiſivi. At imprimis Spicilegium tuum à me deſideratur, eo nomine, quo MESSOR

ego

ego(ſic enim reddi poteſt Latine, quod à majoribus, acceptum cognomen Gentilitium Gallice ſervo) aureum illum ſegetum manipulum,qui mihi pro ſtemmate aſſurgit,augere,ac Nobilem, iterum nova gloria,nobiliſsimus tuis collectaneis accedentibus, nobilitare victuris *εὐγενείας* genuinæ matris influxibus. Vtinam brevi poſſes illorum operum omnium nobis copiam facere. Ego certe etſi non rependerem beneficium, conarer ſaltem, ut voluntas in te mea ex eo tandem eluceſceret,quo per me legere poſſes, quæ ſub iſtius anni initium me Authore edita ſunt Opuſcula,Parænetiсam ſcilicet velitationem de abditis Epidemicôn cauſis, in qua multa prioribus ſeculis inaudita,non Theologice, ſed ex aſtrologicis novis,& Medicis inventis ad amuſsim Chronologicis morborum in varijs locis obſervationibus reſpondentibus. Doctrinam præterea novam, & arcanam Febrium, de cujus merito ex ea, quæ à fronte libri ſolet explicari pagina,ſi quid ex faciei lineis *μετωποσκοπος* judicabis Optaſſem præſertim,ut quod à me quingentis, aut forte pluribus ſupra mille verſibus conſcriptum eſt Heroicum,& Philoſophicum poëma, ad eminentiſsimum Cardinalem, Ducem de RICHELIEN, ſub RICHELIADOS nomine, non incommode mittere potuiſſem. Neque enim dubito,quin tibi arriſiſſet,quod ipſi Principi ſapientiſsimo,& ſupra captum ingeniorum ſcienti, præclaroque Aulicorum doctiſsimorum cœtui,eorum inquam qui Ma-

cerijs

cerijs aſtiterunt ubi tum Rex ob Sedunenſem expeditionem habuit acceptiſſimum, nec ingratum pleriſque, qui in hac alma Pariſienſi civitate vivunt, viris in omni diſcip linarum genere excultiſſimis. Adde quod in hoc carmine res eſt cum abditiſſimis quibuſque Encyclopædiæ myſterijs à ſumma Theologia ad imam Grammaticam, & præter gratiſſima Poëtices ornamenta quicquid à ſumma fixarum ſtellarum ſede ad proximum Lunę orbem jam à LX, aut pluribus annis viſum eſt, Philoſophiæ & Hiſtoriæ non contemnendis, forſan etiam apud eos, quibus noſtra minus placent, rationum momentis penitus explicantur. Priores duos Tractatus forte num vel Amſtelodami, vel Leydæ in officina Elſeviriorum, e bibliopolio Proſtinano Lugdunenſi noſtro ad vos tranſlatos invenies. Sed *ποιημάτιον* cum meis ſumptibus in gratiam Aulæ, & Amicorum meorum prodierit, ut à bibliopolis veniret, non ſum paſſus. Exemplar vel unicum ſervabo, donec ex reſponſis tuis intelligam qua ratione poſſim illud à te tuto tuoque commodo perpetuum mutuæ inter nos amicitiæ *μνημόσυνον* mittere.

De Tabe quid ſentiam, ex tribus Hypotheſibus, quibus tota Doctrina mea Febrium conſtituitur, ſub finem Exercitationis quartæ verba faciens, explicavi, locum ſi placet adibis: ſic etiam ex prima & ſecunda ejuſdē operis ſectione, ſub nomine Exercitationis, quid de Hydrope ſit ſentiendū, non ob-

ſcure percipies. Exiſtimo ſiquidem alium omnino uſum ab eo, quem fabulę proximũ, in hæc uſq; tempora, Medici obtrudere non deſinunt, cum, quemadmodum etiam alia παφεγχύματα, factum videatur, ut copulet vaſa diverſi generis, quæ alias ad actiones ignis vitalis, ipſiuſq; ſpirit⁹ animalis (cujus naturam 1. & 2. Exercitat. ut hoc obiter addam, recens & primus ut ſpero demonſtravi) eſſent ineptiſſima inſtrumenta, ut patet ijs disjunctis, ratione & experimento per animalis extinctionem. Nam & *Lacteum vas* ad chylum excipiendum, *Cavam venam* illis per capillamenta κατ' ἀναςόμωσιν ſub carnea mole conjunctam, quo mictione jam in ſanguinem tinctum ad Cordis dextrum ventriculum evehat *Portam* ut refundat iterum, atque iterum ſanguinem in *Cavam* ab aſcillis earum Arteriarum, quæ à Cœliaca & Meſenterica in partes facultati naturali ſervientes derivantur, ut pag. 9. ejuſdem Doctrinæ novæ docuimus, pauciſſimas Arterias ad alios minores uſus, de quibus ibidem, præter *Nervulum* & *Ligamenta*, in quorum numero cenſetur, quæ antea *Vena umbilicalis* in fœtus formatione utilis fuit, ut clare, quod ante me nullus fecit, de aliarum etiam partium uſu ἐν τῷ ἐμβρύῳ diſſerens dixi. Cum itaque uſus Hepatis alius ſit, ab eo qui vulgo ſtatuitur, immerito Practici ex ejus diatheſi, cognoſcendæ & curandæ Aquæ inter cutem argumenta deſumere videntur. Et revera ut mentem meam explicem, ejus cauſſam eſſe arbitror in

molli

molli quadam inducta qualitate dilatatis anaſtomoſibus venarum, ac præſertim arteriarum ſimul coeuntium, per quas ſerum deferri in renes Tu docte ſimul & vere Elegantiſſimo tuo de Calculo tractatu docuiſti. Ego verò illud addidi, refundi ſerum in omne corpus per venas in capillares ramulos tractas, dum venarum oſculis copulantur, ad nutritionem partium ſpermaticarum, cum ſanguinem hauriant carnoſæ ab ijs venis, quę conjugio arteriarum deſtituuntur. At nulla Arteria, etiam Galeno docente venæ ſibi adjunctæ copula deſtituitur: hinc pauciores in muſculoſis partibus arteriæ, plura autem venoſa vaſa, quia plurima quidem hic caro, ſed hæc ne minimi quidem Anatomicorum ignorant. Cum igitur ſerum effundatur per has ϛομίων copulationes, quæ inde merito ἀναϛομώσεις, cui voci præter originem ἀναϛομόω, quod eſt laxius os dilato, unde apud Euripidem illud, Εὐρείας φάρυγγος, ὦ κύκλωψ, ἀναϛόμȣ τὸ χεῖλος. Cum inquam hoc ex ipſa dictione notetur, fieri poteſt Hydrops in omnibus locis, in quibus multi & copioſi ſunt illi ἀγγείων coitus. Hinc Hydrocephalus, ſive, ut Hippocrates loquitur, ὕδωρ ἐπὶ τῷ ἐγκεφάλῳ, Hydrops pulmonis, & ſubinde pectoris, ut etiam uteri, apud eundem, brachij etiam obſervante Heiſtio, manus etiam allata duplici hiſtoria apud Sennertum. Imo etiam in internis corporis partibus, in quibus ἀναϛομώσεις καὶ ὑδατίδες agere poſſunt in combinatis arterijs, & venis, ut patet ex narratione, quę

ſi bene memini, extat apud Mauritium Cordæum, de quadam muliere Hydropica hic Lutetiæ ſecta, in cujus veſica,utero,renibus,inteſtinis,ventriculo, hepate,corde,& alijs conſpiciebantur veſiculæ citrino humore ac graveolenti repletæ, ita ut eſſent circiter octingeti,ut etiam in Anaſarcha,& Hypoſarca, quæ differunt ratione cauſſæ, ut notat Aretus. At frequentius hæc contingunt,ubi multitudo arteriarum major eſt, ut in Liene. Et ſi locus diſtendi queat, nec renitatur ſubſtantia ſolidior, qualis παρεγχυμάτων, tumor excreſcit facilius in majorem molem, unde cum in partibus hypochondriò ſubiectis inanitas illa & laxitas adſit, propter quam has partes anteriores oſſibus carentes Galenus, cum Ruffo & Aretæus λαγῶνας appellavit, etiam Hydrops in illis aſſurgit inſtar ἄσκȣ ab aqua; τυμπάνȣ, ſi flatus admiſceatur (de quarum cauſſis multa præter communem opinionem mihi nota ſunt) tunc & totus venter in his præſertim in locis, in quibus ſub expanſum iacet ἐπίπλοον, per quod tot venæ à porta infinita propemodum ſcbole totidem arteriis à cœliaco & meſenterico ramo excipiuntur, cuius uſus non recte, vel ſaltem obſcure, & quaſi per tricas expoſitus eſt, à nobis poſtremo explicatus Exercit. 1. Doctrinæ novæ. Quod vero accidat à mollificatione vaſorum, ut ita loquar, & ab humiditate nimia, luce meridiana clarius videbit ille, qui aud iverit ab intemperantiore aquæ potu confeſtim

feſtim. Aſcitem fuiſſe productam, ut contigit ei, qui febre tertiana laborans, referente Carolo Piſone, largiori potu aquæ uſus eſt, etiamſi ille fuiſſet in adoleſcentia conſtitutus, & puellæ cuidam eadem febre laboranti, & vehementer ſitienti poſt ebibitam integram menſuram cereviſiæ, quemadmodum refert Sennertus ex obſervatione propria, niſi me fallit memoria. Ego cum hic ſine libris ago, cogor eas quæ ſola mihi ſuggerit recordatio, ad te perſcribere, exceptis iis, quæ in meis extant libris, quorum exemplaria hic habeo. Quod denique à nimio ſero in corpus recurrente per alia vaſa fiat Hydrops, id docet primo, quod urinæ ſint pauciſſimæ in Hydropicis ſemper, & ſi copioſius bibant, iidem gravius habeant. Præterea conſtat ex iis, qui Diabete corripiuntur, ſi ſitis intenſioris moleſtias non ferentes copioſius bibant, & urina tantiſper contineatur, nam ſtatim venter intumeſcit cum teſtibus ipſis, imò & coxis, unde ὕδρωψ εἰς ἄμιδα morbus eſt appellatus. Sed hæc ſuperant leges Epiſtolæ. Cum dabitur occaſio ex reſponſis tuis, alia plura adiiciam de cauſſa ſitis, & de curatione vera Hydropicorum, noſtriſque experimentis in variis hominibus, & locis, ſi modo ferre poſsis diutius hominis barbari importunam, & incongruam ſcribendi rationem. Vale Vir Exellentiſſime, &, quod unice opto, me amare non deſine.

 Raptim

Raptim Lutetiæ Pariſiorum, prid. non. Octobris anni Epochæ ſalutiferæ CIↃ IↃ CXLI.

RENATO DES CARTES,

viro natalibus, & eruditione nobili,

Ioh. Beverovicius. S. D.

NObiliſſime, & eruditiſſime vir, Immenſo deſiderio videre optem mechanicas demonſtrationes, quibus audio te plane ſtabilire Circulationem ſanguinis, omnemque in iſta doctrina omnibus anſam dubitandi præcidere: quas ut, commodo tuo, communicare mecum digneris, vehementer abs te peto. Editurus Epiſtolicas Quæſtiones cum magnorum virorum reſponſis, inter illa & tuum de circulatione lectum iri voveo, ſimulque ut diu, Vir integerrime, fœliciter apud nos vivas honorificus Bataviæ civis, ac diſciplinarum inſtaurator. Vale. Dordrechti x. Iun. CIↃ IↃ CXLIII.

IOHANNI BEVEROVICIO,

Medicinæ Doctori,

R. Des Cartes. S. D.

CLariſſime, & præſtantiſſime vir. Perhonorificum mihi eſſe puto, quod, cum varia magnorum

magnorum virorum reſponſa velis colligere, a me, in quo nihil magni eſt, ſymbolam petas: & vereor ne non ſim ſatis multi æris ad eam conferendam, quicquid enim habui de quæſtione quam proponis ante aliquot annos in diſſertatione de Methodo Gallice edita jam dedi, atque ibi omnem motum ſanguinis ex ſolo cordis calore ac vaſorum conformatione deduxi. Quippe quamvis circa ſanguinis circulationem cum Hervæo plane conſentiam, ipſumque & præſtantiſſimi illius inventi, quo nullum majus & utilius in medicina eſſe puto, primum authorem ſuſpiciam: tamen circa motum cordis omnino ab eo diſſentio. Vult enim, ſi bene memini, cor in diaſtole ſe extendendo ſanguinem in ſe admittere, ac in ſyſtole ſe comprimendo illum emittere, Ego autem rem omnem ita explico. Cum cor ſanguine vacuum eſt, neceſſario novus ſanguis in ejus dextrum ventriculum per venam cavam, & in ſiniſtrum per arteriam venoſam delabitur, neceſſario inquam cum enim ſit fluidus, & orificia iſtorum vaſorum, quæ corrugata auriculas cordis componunt, ſint latiſſima, & valvulæ quibus muniuntur ſint tunc apertæ, niſi miraculo ſiſtatur, debet in cor incidere. Deinde poſtquam aliquid ſanguinis hoc pacto in utrumque cordis ventriculum incidit, ibi plus caloris inveniens quam in venis ex quibus delapſus eſt, neceſſario dilatatur, & multo plus loci quam prius deſiderat, neceſſario inquam, quia talis eſt ejus natura, ut facile eſt

experiri in eo quod dum frigemus omnes venæ noſtri corporis contrahantur, & vix appareant, cum autem poſtea incaleſcimus adeo turgeſcant ut ſanguis in ijs contentus decuplo plus ſpatij quam prius occupare videatur. Cum autem ſanguis in corde ſic dilatatur, ſubito & cum impetu omnes ejus ventriculorum parietes circumquaque propellit, quo fit ut claudantur valvulæ quibus orificia venæ cavæ & arteriæ venoſæ muniuntur, atque aperiantur illæ quæ ſunt in orificijs venæ arterioſæ & arteriæ magnæ, ea enim eſt fabrica iſtarum valvularum ut neceſſario iuxta leges Mechanicæ ex hoc ſolo ſanguinis impetu hæ aperiantur & illæ claudantur: atque hæc ſanguinis dilatatio facit cordis diaſtolen. Sed & idem ſanguis illo ipſo momento quo in corde dilatatus aperit valvulas venæ arterioſæ & arteriæ magnæ, omnem alium ſanguinem in arterijs contentum etiam propellit, quo fit earum diaſtole. Poſtea ille idem ſanguis eodem impetu quo ſe dilatavit arterias ingreditur, ſicque cor vacuatur, & in hoc conſiſtit eius ſyſtole. Sanguiſque in corde dilatatus cum ad arterias decrevit rurſus condenſatur, quia non tantus ibi eſt calor, & in hoc conſiſtit arteriarum ſyſtole quæ tempore vix differt a ſyſtole cordis. In fine autem huius ſyſtoles ſanguis in arterijs contentus (venam arterioſam pro arteria, & arteriam venoſam pro vena ſemper ſumo) relabitur verſus cor, ſed eius ventriculos non ingreditur, quia talis eſt fabrica valvu-

valvularum in earum orificijs exiſtentium ut hoc ſanguinis relapſu neceſſario claudantur. Contra autem valvulæ quæ ſunt in orificijs vænarum ſponte aperiuntur corde detumeſcente, ſicque novus ſanguis ex venis in cor labitur, & nova incipit diaſtole. Quæ omnia revera ſunt mechanica, ut etiam Mechanica ſunt experimenta quibus probatur eſſe varias anaſtomoſes venarum & arteriarum per quas ſanguis ex his in illas fluit: qualia ſunt de ſitu valvularum in venis de ligatura brachij ad venæ ſectionem, de egreſſu totius ſanguinis ex corpore per unicam venam vel arteriam apertam &c Nec mihi de hac re plura occurrunt relatu digna: tam manifeſta enim & tam certa mihi videtur, ut eam pluribus argumentis probare ſupervacuum putem. Sed nonnullæ obiectiones ad ipſam pertinentes mihi miſſæ ſunt Leovanio ante ſex annos ad quas tunc temporis reſpondi, & quia earum author meas reſponſiones malà fide diſtortas & mutilatas in lucem edidit, ipſas ut a me revera ſcriptæ ſunt libenter mittam, ſi vel nutu ſignifices tibi gratas fore; omnique aliâ in re quantum in me erit voluntati tuæ ac perhoneſtis ſtudijs obſequar. Vale.

Egmundæ op de Hoef 5. Iulij 1643.

EPISTO-

2 Si quis arteriæ inciſæ calamum vel æneam fiſtulam indat, ut ſanguis permeare poſſit, & deinde arteriam vinculo conſtringat ſuper fiſtulam, arteria non pulſabit infra ligaturam. Ergo pulſatio non fit ab impetu influentis ſanguinis, ſed ab alio aliquo, quod per tunicas arteriæ influit. Eſt illud experimentum Galeni proditum lib. an ſanus in art. cont. cap. 8. Neque dicendum id eſſe impoſſibile factu propter ſanguinis arterioſi exſilitionem, quia poteſt hæc caveri hoc pacto. Inijce arteriæ duas ligaturas palmo vel amplius a ſeſe diſtantes tum acuto ſcalpello incide eandem arteriam inter dictas duas ligaturas, nullus effluet ſanguis niſi qui continetur inter vincula, dein foramini facto inde fiſtulam, & liga iterum arteriam ſuper fiſtulam impoſitam; ſolve vero duo priora vincula, ſanguis libere per canalem profluet ad extremas uſque arterias, neque tamen, quæ ſunt infra ligaturam, pulſabunt; ſolve ligaturam, rurſus pulſabunt. Aliquid quidem ſanguinis effluet per vulnus, ſed quid tum? Equidem videre licebit, quod intenditur,

3 Si cordis dilatatio fieret a rarefacto ſanguine multo longior & duralibior eſſet cordis diaſtole, quam nunc in animalibus eſt. Nam notabilis portio ſanguinis in cor influit, quæ ut tota aëreſcat tempore opus eſt, neque tam cito aut ſubito poteſt rarefieri, quam cito ac ſubito fit dioſtole. Etſi videamus oleum & picem igni incidentes confeſtim

ſtim maxime rareſior. Dein, neque in corde tantus calor, quantus in igne, quapropter non id efficere valet quod efficit ignis. Imo in piſcibus puſillus calor eſt, & potius frigus, eorum tamen corda peræque celeriter ac noſtri pulſant.

4 Si arteriæ diſtenduntur a ſanguine, quem cor in illas effundit, pars vicina cordi,quæ proximi ſanguinem illum recipit, tantum pulſabit, reliqua eodem tempore non pulſabunt. Quod enim e corde excutitur, non ſpargitur in omnes arterias ſubito, quia hoc repugnat motui corporis tam craſsi. Atqui omnes totius corporis arteriæ pulſant ſimul. Hæc de cauſſa motus cordis.

Contra ſanguinis circulationem quam cum Harvæo adſtruis hęc habeo,

1 Sanguis arterioſus & venoſus ſic plane ſimilis eſſet, imo idem, quod repugnat antoplię. Ille flavior & floridior, hic nigricantior & triſtior eſt.

2 Materia febrilis conſiſtens alibi in venulis a corde remotis atque adeo, ut febrem intermittentem tantum efficit, deberet plures de die acceſsiones facere, toties ſcilicet, quoties fit ſanguinis illius & ſimul humoris febrilis reditus in cor, ponis autem reditum iſtum fięri centies, imo ducenties per diem.

3 In

3 In viro animali ligatis venis pleriſque ad crus tendentibus, liberis relictis arterijs, deberet crus illud brevi temporis ſpatio mirum in modum tumeſcere : eo quia ſanguis continenter per arterias influeret per venas. Atqui tantum abeſt ut hoc fiat, ut potius, ſi diu ſinas ligatas venas, pars extenuetur defectu Nutrimenti.

Ad iſthęc mea dubiola reſponſiones tuas tam avide expectabo, quam illa ipſa a me expoſtulaſti.

RESPONSIO R. DES CARTES

Ad Epiſtolam Medici cuiuſdam Leovanienſis, in qua agitur de motu cordis.

NOn immerito tuas in meam de motu cordis ſententiam objectiones percupide expectavi nam cum reſpicerem ad doctrinam, ingenium & mores tuos nec non ad benevolentiam qua me proſequeris, illas valde eruditas, ingenioſas, & nullo malignitatis præjudicio inquinatas fore ſciebam : meque judicium non fefellit, Sed eſt quod gratias tibi agam, tum quia illas miſiſti, tum etiam quia monuiſti quo pacto meam opinionem poſsim Ariſtotelis authoritate fulcire. Quippe cum ille homo tam fœlix extiterit ut quæcunque olim ſive cogitans ſive incogitans ſcriptitavit, hodie a plæriſpue pro oraculis habeantur,

nihil

nihil magis optarem quam ut a veritate non recedendo ejus veſtigia in omnibus ſequi poſſem. Sed ne quidem in hac re, de qua eſt ſermo illud me feciſſe auſim gloriari, licet enim ut ille pulſationem cordis ab inflatione humoris in eo concaleſcentis eſſe dicam,per humorem tamen iſtum nihil a ſanguine diverſum intelligo, neq; loquor ut ille *de tumefactione humoris, qui ſemper a cibo accedit, ultimam cordis tunicam elevantis*, etenim ſi talia afferrem multis evidentiſsimis rationibus poſſem refutari; Et merito crederer ad nullorum animalium cordis fabricam unquam attendiſſe. Si tacendo de ventriculis vaſis & valvulis, ultimam tantum ejus tunicam elevari affirmarem. Qui autem ex falſis præmiſsis (ut Logici loquuntur) verum caſu concludit non melius ratiocinari mihi videtur, quam ſi falſum quid ex iiſdem deduceret; nec ſi duo, unus errando,alter recta via incedendo, ad eundem locum pervenerint, unum alterius veſtigijs inſtitiſſe eſt putandum.


Ad primum quod obijcis, nempe cordis e corpore exempti atque diſſecti ſingulas particulas aliquam diu pulſare, licet ibi nullus ſanguis influat vel effluat. Reſpondeo me feciſſe olim hoc experimentum ſatis accuratè, præſertim in piſcibus, quorum cor exciſum multo diutius pulſat, quam cor animalium terreſtrium, ſed ſemper vel iudicaſſe, vel, ut ſæpe fit, ipſis oculis vidiſſe nonnullas ſanguinis reliquias in partem in qua pulſatio fiebat

bat ex alijs ſuperioribus fuiſſe delapſis, & facile mihi perſuaſiſſe pauxillum ſanguinis ex una cordis parte in alium paulo calidiorem illapſi huic pulſationi efficiendæ ſufficere. Notandum enim quo minor eſt quantitas alicujus humoris, tanto facilius illum poſſe rareſcere : Et quemadmodum manus noſtræ quo frequentius aliquem motum exercent, tanto paratiores ad eundem repetendum evadunt, ſic etiam cor, qui a primo formationis ſuæ momento indeſinenti reciprocatione intumuit & detumuit, minima vi ad hoc ipſum continuandum poſſe impelli; Et denique ut videmus quoſdam liquores quibuſdam alijs admiſtos hoc ipſo incaleſcere, atque inflari, ſic forte etiam in receſsibus cordis nonnihil humoris inſtar fermenti reſidere, cujus permiſtione alius humor adveniens intumeſcit. Cæterum hæc eadem obiectio multo plus virium habere mihi videtur in vulgarem aliorum opinionem, exiſtimantium motum cordis ab aliqua animæ facultate procedere: Nam quo pacto quæſo ab humana anima ille pendebit: illi, inquam qui etiam in cordis partibus diviſis reperitur, cum animam rationalem indiviſibilem eſſe, & nullam aliam ſenſitivam vel vegetantem ſibi adiunctam habere ſit de fide?

Obiicis ſecundo illud quod Galenus prodidit in fine libri, an ſang. in Art. cont. cuius quidem experimentum nunquam feci, nec iam facere eſt commodum, ſed neque operæ prætium eſſe exiſtimo

poſitâ enim illâ pulſationis arteriarum cauſa quam pono, Mechanicæ meæ, hoc eſt Phyſicæ, leges docent, intruſo in arteriam calamo, & illâ ſuper ipſum calamum ligatâ, eandem ultra vinculum pulſare non debere, ſolutâ autem ligatura debere, plane ut Galenus expertus eſt; modo tamen calamus paulo anguſtior ſit quam arteria, ut proculdubio ſuppoſuit, & te ipſum idem ſupponere ex hoc concludo, quod dicas ſoluta ligaturâ nonnihil ſanguinis per vulvas effluxurum, nam ſi calamus totam arteriæ capacitatem impleret, quoniam accuratè vulnus obturaret, ne minimum quidem ſanguinis per illud elaberetur. Calamo autem in capacitate arteriæ ſimul cum ſanguine notante non mirum eſt illum eius motui non obſtare. Notandum enim hunc motum non fieri ex eo quod ſanguis e corde egreſſus per omnes arterias ſubito ſpargatur, ut in quarta tua obiectione ſupponis, ſed ex eo quod partem arteriæ magnæ cordi proximam occupans totum alium ſanguinem in eâ ejuſque ramis contentum expellat & concutiat, quod fit abſque morà, hoc eſt, ut philoſophi loquuntur, in inſtanti. Ponamus exempli cauſa B. C. F. eſſe

arteri-



arteriam, ſanguine plenam, ut ſunt ſemper, & in quam mane ex corde A nonnihil novi ſanguinis ingreditur : Sic enim facile intelligemus hunc novum ſanguinem non poſſe implere ſpatium B. quod eſt in orificio huius arteriæ, quin alia pars ſanguinis, quæ prius implebat hoc idem ſpatium B. recedat verſus C. indeque alias partes ſanguinis trudat verſus D. & ſic conſequenter uſque ad E. adeo ut eodem ipſo inſtanti quo ſanguis

aſcendit ab A ad B debeat arteria pulſare ad E. Nec obſtabit ſi fingamus in ea contineri calamum D. vel quodvis aliud corpus ſive cavum ſive ſolidum, modo libere natet in ſanguine, quia æque facile pelletur tale corpus verſus E ac ipſe ſanguis. Superficies enim interna arteriarum eſt admodum lævis, & quoniam illæ conſtant tunicis ſatis duris non ſe contrahunt ut inteſtina vel venæ ad menſuram corporis quod in ijs continetur, ſed etiam vacuæ & in mortuo animali, patulæ atque hiantes eſſe ſolent. Si vero ſit alius calamus in E huic arteriæ inditus, & ſuper quem ſit ligata, ut vult Galenus, licet ſanguis per hunc calamum poſſit tranſire ad F. non tamen ibi concutiet latera arteriæ, ſaltem notabiliter, quoniam ex anguſto loco in latiorem tranſeundo magnam partem ſuarum virium amittet, reliquaſque potius ſecundum longitudinem arteriæ quam ſecundum ejus latitudinem exercebit, ac proinde illam quidem poterit continuo affluxu implere, tumidioremque reddere, non autem diſtinctis ſubſultibus agitare. Nec alia ratio eſt cur venæ per varias anaſtomoſes arterijs conjunctæ non etiam pulſent, quam quia ipſarum extremitates per quas ſanguis ingreditur anguſtiores ſunt earum alveis in quos fluit.

Poſſumus autem hoc experimentum Galeni duobus alijs modis tentare. Nempe vel in arteriam intrudendo calamum, ſive tubulum alium

quem-

quempiam, qui ſit tam craſſus ut totam arteriæ capacitatem replens ejus ſuperficiei internæ adhæreat, nec natare poſſit in ſanguine, Vt ille qui hic ad D. appictus eſt, intus autem habeat cavitatem tam anguſtam ut non liberiorem tranſitum ſanguini præbeat, quam ille qui hic videtur ad E: quo caſu etiam non ligatus arteriæ motum ſiſtet. Vel rurſus in arteriam intrudendo calamum, qui cavitatem habeat tam latam ut non minus liberum tranſitum præbeat ſanguini quam vacua arteria: quo caſu ſive ligetur, ſive non ligetur ejus pulſationi procul dubio non obſtabit. an. ſang. in art. c. 9. de uſu pulſuum. c. 3. *Nec eſt quod nos moveat authoritas Galeni varijs in locis aſſirmantis arterias non diſtendi ut utres quia implentur ſed impleri ut folles* (Itemque *ut fauces & pulmones & pectus universum*) *quia extenduntur, illaſque extentas extremis partibus & foraminibus ex quocunque loco ſibi vicino attrahere quidquid ipſarum ſinus implere idoneum eſt.* Refellitur enim certiſſimo experimento, quod & antehac aliquoties, & hodie adhuc inter ſcribendum videre non piguit. Nempe vivi cuniculi thorace aperto, coſtiſque ita diductis ut cor & aortæ truncus apparerent, aortam ſatis longè a corde filo conſtrinxi, ſeparatam ab ijs omnibus quibus adhærebat, ne qua ſuſpicio eſſe poſſet aliquid ſanguinis vel ſpiritus aliunde in ipſam quam ex corde influxurum: deinde ſcalpello eandem incidi inter cor & vinculum, vidique manifeſtiſsimè eo

 tempore

tempore quo extendebatur ſanguinẽ per inciſuram ſaliendo exilire, eo autem quo contrahebatur non effluere. At contra ſi Galeni opinio vera eſſet arteria iſta ſingulis diaſtoles,momentis aërem per inciſuram attrahere, nunquamq; niſi tempore ſyſtoles ſanguinẽ emittere debuiſſet. Vt nemini dubiũ eſſe poſſe mihi videtur.Pergens autem in hac animalis vivi diſſęctione mediã partem cordis illã ſcilicet, quę ejus mucro appellatur abſcidi, ſed ab eo momento quo fuit a baſi ſeparata ne ſemel quidem ipſam pulſare animadverti,quod occaſione pręcedentis objectionis hic moneo ut obſerves partes quidẽ cordis, quę ſunt verſ⁹ ejus baſim aliquandiu pulſare,quoniam in illas aliquid novi ſanguinis ex vaſis & auriculis ipſis adhærentibus influit,partes autem quæ ſunt ad cuſpidem non ita.Cæterum poſtquam cordis mucro fuit abſciſſus ejus baſis manens adhuc vaſis appenſa pulſavit ſatis diu,atque in ea commodiſſime aſpexi duas illas cavitates, quæ ventriculi cordis appellantur in diaſtole fieri ampliores,& in ſyſtole arctiores quo experimento Hervei ſententia de motu cordis iugulatur, ait enim ille plane contrariũ,nempe ventriculos in ſyſtole dilatari ut ſanguinem recipiant,& in diaſtole coarctari, ut illũ in arterias extrudant. Quę hic obiter adjunxi ut videas nullam ſententiã a mea diverſam fingi poſſe in quã certiſſima aliqua experimenta non pugnent. Nota, ut hoc experimentum recte fiat, non ſolam mucronis extremitatem, ſed mediam partem toti⁹ cordis eſſe abſcindendam, vel etiam amplius: idq;

in-

in cuniculo timido animali non in cane eſſe tentan dũ .In canib⁹ enim ventriculi cordis varios habent amfractus, quorum ſingulę cavitates dilatatione ſanguinis ita extenduntur ut interim generalis cujuſque ventriculi cavitas anguſtior reddi videatur. Quod forte illis impoſuit qui cor in diaſtole conſtringi judicarunt. Atqui tunc illud dilatari vel ipſo tactu probari poteſt,manu enim prehenſam multo durius in diaſtole quam in ſyſtole ſentitur.

Obijcis tertio ſi cordis dilatatio fieret a rarefacto ſanguine multo longiorẽ & durabiliorem fore eius diaſtolen quã nunc eſt.Quod forte ita tibi perſuades quoniam imaginaris iſtam rarefactionẽ eſſe ſimilem illi, quæ fit in Æolipilis cum in ijs aqua vertitur in vaporem: ſed varia ejus genera diſtinguenda ſunt,aliter enim fit cum liquor plane in fumum ſive aerem abit & formã mutat, quemadmodum in Æolipilis,Aliter cum liquor formam retinet & mole tantum augetur. At primum modũ ſanguini in corde nulla ratione convenire manifeſtũ eſt, Tum quia non fit toti⁹ liquoris ſimul,ſed earũ tantum partium quæ ex eius ſuperficie ſurgentes in aere finitimo ſe extendunt,ut fusè in Meteoris cap. 2. & 4.explicui:Etenim null⁹ eſt in corde talis aër nullaq; ſuperficies aeri finitima, ſed ejus cavitates in vivis animalib⁹ quantę quantę ſunt totę ſanguine implentur, Tum quia ſi hoc eſſet non ſanguis in arteriis, ſed tantummodo vapid⁹ aër contineretur. Nunc autẽ dubitat nemo quin ſanguine ſint plenæ. atq; hic obiter mirari licet quã ſteriles veri fuerint

apud quos eouſque de hac re dubitabatur,ut Galenus integrum librum ad probandum ſanguinem in arterijs natura contineri, conſcribere dignatus ſit. Alter modus rarefactionis, quo liquor mole augetur, rurſus eſt diſtinguendus, vel enim fit ſenſim, vel in momento, ſenſim ſcilicet cum partes liquoris per gradus acquirunt novum aliquem motum, aut figuram aut ſitum, ratione cujus plura vel maiora quam prius circa ſe relinquunt intervalla Et in Meteoris explicui quo pacto talis rarefactio non tantum a calore ſed etiam intenſo frigore alijſque cauſis poſſit oriri. Fit denique rarefactio in momento, iuxta philoſophiæ meæ fundamenta, quoties liquoris particulæ vel omnes vel certe plurimæ hinc inde per eius molem diſpenſæ ſimul tempore mutationem aliquam acquirunt ratione cujus locum notabiliter ampliorem deſiderant. Vltimum autem hunc modum eum eſſe quo ſanguis rarefit in corde, res ipſa indicat, ejus enim diaſtole fit in momento. Atque ſi attendamus ad ea omnia quæ ſcripſi in quinta parte libelli de methodo non magis ea de re dubitare nobis licebit,quam dubitamus an oleum & alij liquores ita rarefiant cum videmus illos in olla ſubitis ſubſultibus aſſurgere. Ad hoc enim tota cordis fabrica, ejus calor atque ipſa ſanguinis natura ita conſpirant, ut nullam rem ſenſibus uſurpemus, quæ certior eſſe mihi videatur. Nam quod ad calorem attinet etiamſi in piſcibus

non

non magnus ſentiatur, eſt tamen in eorum corde multo major quam in ullis alijs membris. At negas eam eſſe ſanguinis naturam ut ſubito rarefiat, quia ſcilicet non eſt ſimilis oleo vel pici ſed magis aqueus humor & terreus. Tanquam ſi ſolis pinguibus hoc competeret. Nunquid ipſa aqua ſi tantum in eâ vel piſces vel aliud quid coquatur ita ſolet intumeſcere? nec tamen ſanguis eâ magis aqueus dici poteſt. Nunquid farina ſubacta & fermentata etiam abſque magno calore ſic ſurgit? Nec tamen ſanguis eâ magis terreus videtur. Quid autem illi magis affine quam lac, quod igni appoſitum, cum ad certum gradum caloris pervenit etiam ita inflatur. At quid opus eſt alienis exemplis quorum magnam multitudinem chymia poſſet ſuppeditare cum ipſe ſanguis, ſi recens e venis eductus in locum aliquanto calidiorem quam ipſe eſt incidat, etiam momento dilatetur. Vt aliquoties expertus ſum. Veruntamen quia novi eam eſſe ejus naturam ut ſtatim atque eſt extra vaſa corrumpatur, & calorem ignis a calore cordis in quibuſdam differre, non ideo affirmo ſanguinis rarefactionem quæ fit in corde ſimilem eſſe in omnibus illi quæ ſic arte procuratur. Sed ut nihil hic te celem eam ita fieri exiſtimo. Cum ſanguis in corde intumeſcit maxima quidem eius pars per aortam & venam arterioſam foras erumpit, ſed alia etiam intus manet, quæ intimos eius ventriculorum receſſus replens novum ibi caloris

gradum & quamdam veluti fermenti naturam adipiſcitur: ſtatimq; poſtea dum cor detumuit novo ſanguini per venam cavã & arteriam venoſam illabenti celerrime ſe admiſcens efficit, ut celerrime turgeſcat, in arteriaſq; diſcedat; Sed relicta rurſus aliqua ſui parte, quæ fermenti vice fungatur. Vt panis fermentum fieri ſolet ex parte farinę jam fermentatæ, vini fermentum ex uvarũ reliquiis, & cereviſiæ fermentum ex quadam ejus fece. Neq; hic valde intenſ⁹ caloris grad⁹ requiritur, ſed vari⁹ pro variâ ſanguinis ſingulorum animaliũ naturâ. Vt neq; cereviſia, nec vinũ, nec panis, ex quib⁹ magna pars noſtri ſanguinis exurgit, intenſo egent calore ut fermententur, ſed ſua etiam ſponte intepeſcunt.
Ad quartam tuam objectionem puto me jam ſupra ſatis reſpondiſſe, quoniam oſtendi, quo pacto arteriæ omnes ſimul pulſent. Itaque ſupereſt ut ad ea quæ contra ſanguinis circulationẽ attuliſti reſpondeam.

Primum eſt differentia inter ſanguinem arterioſum & venoſum, quam quidem ipſemet, in p. 52 libelli de Methodo, Herveo objici poſſe judicavi, quia per ejus ſententiam nulla ſanguinis mutatio in corde fieri intelligitur: At mihi, qui ſubitam ejus inflationem & quaſi ebullitionem deſcribo, ne eadem objiceretur non verebar. Nam quæſo quæ res majoris & magis ſubitæ mutationis cauſa in corpore aliquo eſſe poteſt, quam ebullitio iſta & ſimul fermentatio? ſed dices ſanguinem ex arteriis per earum extremitates in venas influentem nullam ibi pati mutationem, ideoq; illum in venis non di-

verſum

verſum eſſe debere,ab eo qui eſt in arteriis. Ad quã objectionem ut accuratè reſpondeam,velim primo ut advertas nullam contineri guttam ſanguinis in arterijs quæ per cor paulo ante non tranſiverit, in venis autem ſemper eſſe aliquas quę ex arteriis non fluxerunt,quia nempe ab inteſtinis in illas ſemper aliquid humoris illabitur;Itemq; venas omnes una cum hepate inſtar unius vaſis eſſe ſpectandas. Quib⁹ poſitis facile intelligitur ſanguinem debere eaſdem qualitates ,quas acquirit in corde in omnibus arteriis retinere:adeo ut ſi fingerem⁹ illum per cor tranſeundo album fieri, ut in hepate fit ruber,null⁹ plane in arterijs niſi albus contineretur,nulluſq; in venis niſi ruber,albus enim qui continuo in illas ex arteriis influeret alteri jam rubenti permiſtus, non aliter quam aqua vino infuſa, ſtatim colorem ejus indueret.Prĉterea eſt advertendum multa eſſe quę poſt quam incaluerunt ex hoc ſolo quod vel lente vel celeriter refrigerentur qualitates acquirunt valde diverſas.Ita vitrum niſi lentè refrigeſcat fit tam fragile ut nequidem aeri reſiſtat,& eadem materia nunc in ferrum poteſt abire, nunc in chalibem pro diverſo modo fuſionis.Sanguis enim qui ex arteriâ effluit cum vitro quod candens è fornace eductũ eſt ille autẽ qui ex vena cum vitro,quod lento igne recoctum eſt,poteſt conferri:Et intenſiſſim⁹ ignis fornacũ non tantũ poſſe videtur in chalybẽ vel vitrũ quã moderatus cordis calor in ſanguinẽ, qui nempe eſt humor ad mutationẽ tam paratus ut ſolus aër

ſtatim

tim atque è venis eductus eſt illum corrumpat.

Ad id quod addis de materia febrium intermittentium nihil aliud dicendum habeo, quam me ne minimum quidem ſuſpicari illam in venis reſidere, atque mirari opinionem iſtam nulla probabili ratione fulcitam multos habuiſſe ſectatores, in quos tam fuſe diſputat Færnelius Path. l.4.c.9. ut authoritatem etiam authoritate refellam. Sed præterea ille rationibus vincit, & inter cæteras unam habet quæ ſufficere mihi videtur. Nempe ſi materia febrium intermittentium procederet ex venis, vel nulla unquam eſſet duplex tertiana, vel omnis valde vehemens tertiana eſſet duplex, & idem eſt de quartana. Nullas autem rationes quæ meæ ſint hic addo, nec de febribus dico quod ſentiam, ne me ex unis difficultatibus in alias pertrahi ſinam.

Supereſt experimentum de ligatis venis plæriſque ad crus tendentibus liberis relictis arterijs, quo facto dicis crus illud non intumeſcere ſed potius paulatim extenuari defectu nutrimenti. Vbi ſane eſt diſtinguendum, nam ſimul ac venæ ita erunt ligatæ proculdubio nonnihil intumeſcent atque ſi quam exijs aperias infra ligaturam, totus aut fere totus corporis ſanguis per illam poterit effluere, ut quotidie chirurgi experiuntur. Hocque ni fallor ſanguinis circulationem, non dicam probabiliter perſuadet, ſed, evidenter demonſtrat. Si vero diu ſic ligatæ venæ relinquantur, ea quæ

ſcribis

ſcribis vera fore mihi facile perſuadeo, licet nunquam ſim expertus, quia ſanguis in venis ligatis ſtagnans brevi tempore valde craſſus & alendo corpori parum idoneus evadet. Non autem novus continenter per arterias eo influet, quia ramulis, meatibuſque alijs omnibus tum arteriarum tum venarum craſſo ſanguine obſtructis, nullus ei locus patebit. Quinimo etiam forte ipſæ venæ aliquantum detumeſcent, nempe ſero ſanguinis in ijs contenti per inſenſibilem tranſpirationem abeunte. Sed nihil plane hoc facit in aſſertam circulationem.

SECVNDA EPISTOLA

Medici cuiuſdam Lovanienſis ad R. Des CARTES.

QVod ad reſponſiones tuas ad mea objecta attinet, petis tibi ſignificari quo pacto eæ mihi ſatisfecerint, nondum plenè ſunt quæ adhuc enucleatius a te dici poſtulem.

Ad primum ais, in cordibus exemptis nonnullas ſanguinis reliquias in partem in qua pulſatio fit ex alijs ſuperioribus delabi. Obſervo etiam illas partes ſuperiores, in quas ex alijs nihil delabi poteſt, pulſare, Subjungis hanc eandem objectionem multo plus virium habere in vulgarem aliorum opinionem exiſtimantium motum cordis ab aliqua animæ

animæ facultate procedere. Hoc te non excuſat fortaſsis neque hæc,neque illa tua vera eſt motus illius cauſa. Nihil ominus ego vulgarem opinionem ſalvam facere mihi poſſe videor, Nam etſi in corde humano exemto anima non ſit,nec conſequenter etiam facultas, inſtrumentum autem animæ illis aliquantiſper eſt, ſpiritus ſcilicet in virtute animæ agens. Sic exiſtimo in cadavere hominis ſubito decollati fieri attractiones & coctiones & aſsimilationes alimenti perinde uti in vivente, quandiu calor & ſpiritus vivificus cadaveri ineſt.

Ad ſecundum dicis: Motum arteriarum fieri ex eo, quod partem arteriæ magnæ cordi proximam ſanguis occupans totum alium ſanguinem impellet &c, Non ita fieri docent Caſus chirurgici vulnerata arteria, maximum opus & labor chirurgieis eſt, ut ſanguinem ſiſtant: intrudunt pulveres aſtringenres & linteo & neſcio quæ in ipſum vulnus arteriæ: adeo ut per iſta aliena corpora arteriæ impacta diſcontinuent ſanguinem, qui eſt in arteria infra vulnus ab eo qui eſt ſupra: attamen motus arteriæ infra vulnus non ſiſtitur, neque illa corpora libere fluitant cum ſanguine in arterijs, ſed fixa & impacta ſunt: alioquin enim non ſiſteretut ſanguis.

Poſtea addis, ſi in arteriam intrudatur calamus tam craſſus ut totam capacitatem eius repleat, intus autem cavitatem habeat anguſtam, ita ut non præbeat

præbeat liberum tranſitum ſanguini, eo caſu non ligatus etiam motum ſiſtet, atque ideo putas venas non pulſare &c. ſive intus a tabula liber ſanguinis tranſitus impediatur, ſive foris a circumjecto aliquo corpore arteriam comprehendente id ipſum fiat, perinde eſt, uti puto. Atqui quantumcumque a corpore extrinſico anguſtentur arteriæ & comprimantur, modo non penitus collidentur & conſtringantur tunicæ, motus non aufertur. Eſt hoc certiſſimum, Ergo &c. Quæ de viva cuniculi ſectione adfers vera ſunt, & Gal. quoque in lib. de adminis. Anat. idem prodidit admirans quomodo baſis cordis ultimo pulſet.

Ad tertium inquis etſi in cordibus piſcium non magnus calor ſentiatur, eſt tamen illic major quam in alijs eorum membris Sit ita: Non tamen eſt tantus, ut poſſet ſanguinem piſcium rarefacere, & quidem tam celeriter. Manus noſtræ multo ſunt cordibus piſcium calidiores ac hæ ſanguinem piſcium continentes id non faciunt.

Confugis deinde ad fermentum cordiale, quod rarefaciet ſanguinem, quod fermentum vereor ne figmentum ſit. Et ut non ſit: quomodo inquam tam celeriter rarefaciet: hoc enim vero contra Naturam geniumque fermenti eſt, hæc igitur explicari adhuc deſidero. ſi lubet: ſi operæ pretium non videatur, & ſatis explicata putes,

putes, ſuperſede & conabor per me tua concoquere. Cætera quæ dicis pro circulatione ſanguinis, utcunque habent, neque ea ſententia valde diſplicet.

RESPONSIO R. DES CARTES

Ad ſecundam Epiſtolam Medici Lovanienſis

Diligentiæ tuæ tum in reſpondendo, tum in aliorum ad me litteris mittendis multum debeo. Et ea quæ rurſus obijcis nequaquam contemnenda, ſed ſiquid aliud, reſponſione accurata digna eſſe mihi videntur. Ad primum enim optimè mones cordis exempti ſuperiores partes præcipue pulſare, unde concludis hanc pulſationem a ſanguinis illapſu non pendere. Sed duo hic ſunt advertenda, quibus puto hanc difficultatem radicitus extirpari. Vnum eſt illas cordis partes quæ ſuperiores vocantur, nempe quæ ad baſim, duplices eſſe alias ſcilicet quibus inſeruntur vena cava & arteria venoſa, quæ quidem non moventur ob rarefactionem novi ſanguinis in eas delabentis poſtquam auriculæ & vaſa omnia illis adhærentia ſunt abſciſſa, Niſi forte quatenus aliquid ex coronaria, vaſiſque alijs per cordis ſubſtantiam ſparſis, quæ tunc omnia circa baſim aperta ſunt, in ipſarum cavitates fluit; Alias vero, quibus inſeruntur vena arterioſa & arteria magna, quæ omnium ultimæ

debent

debent pulſare, etiam mucrone cordis abſciſſo, quia nempe cum ſanguis per illas egredi ſit aſſuetus, tam faciles ibi vias invenit, ut omnes ejus reliquiæ quę in diſſecti cordis partibus reperiuntur, eò tendant. Alterum hic notandum, eſt, auricularum cordis partiumque illis adiacentium motum valde diverſum eſſe a motu reliquæ eius molis, non enim in ijs ideo percipitur quod ſanguis rarefiat, ſed ideo tantum quod ex illis affatim delabatur: ſaltem corde iam lacero & languenti. Nam in vegeto adhuc & integro alius auricularum motus etiam apparet, qui ſit ex eo quod ſanguine repleantur. Partes autem cordis ſuperiores uſque ad ea ventriculorum loca quibus extremitates valvularum tricuspidum inſeruntur interdum reliqui cordis, interdum auricularum motum imitantur. Quibus notatis, ſi non graveris ultimos cordis alicujus moribundi motus attente conſiderare, non dubito quin facillime proprijs oculis ſis percepturus partes ejus ſupremas, hoc eſt illas ex quibus ſanguis in alias delabi debet, nunquam tunc moveri niſi eo motu quo vacuantur, Atque ventriculis ſecundum longitudinem ſciſſis videbis interdum auriculas ter aut quater agitari, & ſingulis vicibus aliquid ſanguinis in ipſos mittere, priuſquam cor ſemel pulſet aliaque multa quæ ſententiam meam omnia confirmabunt. Petes autem fortaſſe quomodo per illum ſolum ſanguinis ex auriculis cordis delapſum tantus motus in ijs fieri poſsit quantus tibi
tunc

tunc apparebit. Cuius rei duas cauſas hic exponam. Prima eſt,quia vivo animali cum ſanguis non continuo & æquali motu ſed per interrupta momenta ex auriculis in cor affatim decidat, fibræ omnes partium per quas tranſit ita conformantur à natura, vt ſi vel minimum quid per eas delabatur, tantundem fere & tam cito debeant aperiri, quam conſueverunt cum magna ſanguinis copia tranſitũ præbent. Altera eſt,ſanguinis rorem exiguum ex vulneratis partibus cordis exudantem cogi debere in guttulam ſatis inſignis magnitudinis priuſquam in medios eius ventriculos fluat,eodem modo quo ſudor è cute ſenſim emergens aliquamdiu ibi hæret donec guttæ ex eo formentur, quæ ſubito poſtea in terram cadunt. Cum vero ad hoc quod ſubiunxi, nempe tuam obiectionem plus virium habere in vulgarem aliorum opinionem quam in meam,reſpondes hoc me non excuſare, verum dicis, & ideo etiam mei moris non eſt in alijs refutandis tempus terere. Sed vt te ad meas partes pertraherem non inutile fore putabam, ſi nullas alias eſſe, quas potiori iure ſequi poſſes, oſtenderem. Verum imitari vis egregios illos belli duces qui cum arcem aliquam,quæ male munita eſt,ſeruandam ſuſceperunt,licet obſidentibus reſiſtere ſe non poſſe agnoſcant, non tamen ideo protinus ijs ſe dedunt, ſed malunt omnia prius tela conſumere & extrema quæque experiri: Vnde fit vt ſæpe dum vincuntur plus gloriæ quam ipſi victores reportent.

tent. Nam cum vt explices quo pacto cor in hominis cadauere ab anima abſente moveri poſsit, confugis ad calorem & ſpiritum viuificum tanquam animæ inſtrumenta quæ in virtute eius hoc agant, quid quæſo aliud eſt quam extrema velle experiri: Etenim ſi hæc inſtrumenta interdum ad hoc ſola ſufficiant, cur non ſemper? Et cur potius imaginaris illa in virtute animæ agere, cum ipſa abeſt, quam iſta animæ virtute non indigere, nequidem cum adeſt: Ad ſecundum quod ais de modo quo chirurgi læſę arteriæ ſanguinem ſiſtunt, reſpondeo quoties pulſatio vltra vulnus non ceſſat alveum ipſum arteriæ per quem ſanguis fluere conſueuit non obturari, ſed tantummodo foramen in cute & carnibus per quod è corpore egredi poſſet. Ad id autem quod ſubiungis, reſpondeo magnum eſſe diſcrimen inter arteriam in qua ſanguinis tranſitus à tabulo immiſſo impeditur, & illum quæ vinculo foris circumiecto redditur anguſtior: Nam licet ſententia Galeni dicentis motum arteriarum pendêre à vi quadam per earum tunicas fluēte nullo modo probabilis mihi videatur, valde tamen rationi conſentaneum eſſe puto partibus arteriæ ante vinculum concuſsis vlteriores etiam ex conſequenti moveri, ſaltem quando vinculum non eſt tale vt motum tunicarum arteriæ plane ſiſtat, quale vix in caſu propoſito eſſe poteſt. Atqui ſi quæ pars arteriæ multo anguſtior alijs reddatur, & ſimul eius tunicæ eo in loco mo-

tu omni priventur, à quacumque demum cauſa id fiat, partium ſequentium pulſationem ceſſaturam etiam eſſe firmiter credo.

Ad tertium cauſaris frigus piſcium vt neges ſanguinem in eorum corde rarefieri, ſed ſi mihi nunc hic adeſſes, non poſſes non fateri etiam in frigidiſsimis animalibus motum iſtum à calore procedere videres enim anguillæ: corculum perexiguum, quod hodie mane ante horas 7. vel 8. excidi, dudum plane mortuum atque in ſuperficie iam ſiccum, mediocri calore foris ei admoto reviviſcere, & rurſus ſatis celeriter pulſare. Vt autem ſcias non ſolum calorem ſed etiam ſanguinis allapſum ad hoc requiri, ecce illud immitto eiuſdem anguillæ ſanguini, quem in hunc vſum ſeruaveram, & deinde calefaciendo officio vt non minus celeriter & inſigniter pulſet quam in vivo animali. In hoc autem corde perſpicuo etiam vidi hodie mane, quo de motu partium cordis ſuperiorum, dum ſanguis ex ijs effluit, ſupra ſcripſi: Etenim tota eius parte amputatâ cui vena cava inſerebatur, & quæ propriè ſuprema omnium dici debet, obſeruaui ſequentem partem, quæ tunc ſuprema erat non amplius cum reliquo corde pulſare, ſed tantum ſanguinem ex vulnere rorantem in ſe interdum recipere cum quodam motu ab illo pulſationis prorſus diuerſo. Verum quia ſi quando forte incidas in ſimile experimentum videre poteris cor eiuſmodi frigidorum animalium ſæpe

pulſare

pulſare licet nulla ſanguinis aliunde in illud illabentis ſuſpicio eſſe poſſit, ibo hic obuiam obiectioni quam inde merito deſumeres, & dicam quo pacto pulſationem iſtam fieri intelligam. Primum obſeruo hunc ſanguinem multum differre ab eo calidiorum animalium, cuius ſcilicet, cum è corpore eductus eſt, partes ſubtiliſſimæ momento temporis in auras euolant, & quod ſupereſt partim in aquā, partim in grumos faceſsit: hic enim anguillæ ſanguis tota die, non dicam incorruptus, ſed ſaltem quantum viſu poſſum percipere non mutatus manſit, ſemperque multi vapores ex eo egrediuntur, adeo vt ij, ſi vel minimum calefiat, inſtar fumi denſiſsimi aſſurgant. Præterea memini me alias vidiſſe cum ligna viridia vrerentur, vel poma coquerentur, vapores vi caloris ex eorum partibus interioribus emergentes non modo per anguſtas corticis rimas exeundo ventum imitari, quod nemo non aduertit, ſed etiam interdum ita diſpoſitam eſſe partem corticis in qua tales rimæ fiunt vt aliquantum intumeſcat priuſquam rima aperiatur, quæ deinde rima apertâ confeſtim detumeſcit, quia nempe omnis vapor illo tumore incluſus affatim tunc egreditur, nec nouus tam cito ſuccedit. Sed paulo poſt vapore alio ſuccedente pars eadem corticis rurſum intumeſcit, & rima aperitur, & vapor exit vt prius. Atque hic motus ſæpius repetitus pulſationem cordis, non quidem viui, ſed eius quod hic habeo ex anguillâ exciſum

perbellè imitatur. His autem animaduerſis nihil magis obvium eſt, quam vt iudicemus fibras ex quibus cordis caro componitur ita eſſe diſpoſitas vt vapor incluſi ſanguinis ijs attollendis ſufficiat, atque vt ex eo quod ita attollantur magni meatus aperiantur in corde, per quos omnis ille vapor ſtatim evolat,& cor detumeſcit,&c. Quod confirmare libet alio caſu hodie etiam à me obſeruato, nempe abſcidi corculi anguillę partem ſupremam (hoc eſt illam cui vena cava inſerebatur, & quæ eodem ibi officio fungebatur quo dextra auricula in terreſtrium animalium cordibus) ipſamque,cuius confuſa lineamenta nihil aliud quam guttulam craſsi ſanguinis referebant, in ligneo vaſe ſeparatim ſervari vt experirer an aliqua in ea pulſatio appareret,ſed nullam plane initio deprehendi, quia nempe, vt paulo poſt agnovi, cum multi meatus ibi eſſent aperti & patentes, vapor omnis è ſanguine emergens continuo & non impedito motu evolabat. Sed poſt horæ quadrantem vel amplius, cum iſta ſanguinis guttula, cui nempe cordis particula innatabat, in ſuperficie ſiccari, & quadam veluti cute obduci cæpiſſet, manifeſtam in ea pulſationem aſpexi;quæ calore admoto increſrebcebat,& non deſtitit donec omnis humor ſanguinis fuerit exhauſtus.

Cæterum valde miror id quod attuli de fermento tibi videri figmentum, & me ad illud confugiſſe,tanquam ſi valde vrgerer,& aliter me tueri

ri minime poſſem, nam certè abſque ea mea ſententia facillime & explicatur & demonſtratur, ſed eâ admiſſâ neceſſarium eſt etiam fateri aliquid ſanguinis in corde rarefacti ex una eius diaſtole in aliam remanere, atque ibi ſe permiſcendo ſanguini de novo advenienti rarefactionem eius adiuvare, qua ſi re fermenti naturam & genium plane refert.

IOHANNI BEVEROVICIO,
Senatori, & Medico Dordrechtano,

ANCH. ab ANDLA, M.

S. P. D.

NObiliſſime Vir, En donum Amplitudini tuæ toto affectu oblatum, cuius uſu animus tuus varijs contradictionibus & conciliationibus ſatiabitur, utinam majus offerre poſſem, Andlam tuum benigniſſimum videres. Nuperum tuum ſuave & literatiſſimum colloquium medullitus animo hæret, avideque exaudire rurſum geſtio. Dabitur occaſio, ut maiora, & profundiora inter nos pertractentur, dummodo mihi anſa quæſtionis enucleandæ ſuppeditetur, cuius tui ingenij ſagacitas copiam exhibebit quamprimum. Interim vale Vir abſolutiſsime, & me animæ dimidium tuæ amicis adnumera. Datum Hagæ Comit. VIII. Iun. CIↃ IↃ CXLII.

ANCHISÆ ab ANDLA,

Medico Leovardienſi, & gubernatori Friſiæ, nec non Conſiliario ſtatus fœderatæ Belgicæ,

IOH. BEVEROVICIUS. S. D.

NObiliſſime, & Ampliſsime vir, Non ſatis habuiſti præſentem me incredibili benignitate tibi obligaſſe, niſi cumulando beneficia beneficijs, etiam abſentem munere inſigni large effuſeque donares. Cum lucubratiuncula, quæ brevi, ut dixeram, prodibit, offeram poſt paucos, ut & nunc, quando aliter non poſſum, animum memorem ac gratum, gratiorem utique, ubi ero ſolvendo. Valde me illud in tuis exhilaravit de colloquio noſtro apud popularem tuum,& meum affinem Veltdrielium, à vobis in conventu Ordinum generalium delegatum. In iſto cum & plantas indigenas unicuique regioni ſufficere, & noſtrum quoque Belgium ijs ad ſanitatem, & morbos αὐταρκέστατον εἶναι, mihi ὁμόψηφον te exhiberes, equidem domum redux, rationes omnes,quibus ea ſententia ſtabiliretur, in chartam conjeci, lucem,te prius conſulto, nec niſi probante, viſuras. Interea, quia anſam quæris alicuius enucleandæ quæſtionis, mitto contrarias plane opiniones de Menthæ viribus materiam neque à meo inſtituto, eum

eum in herbis verſor, neque à tuo de contradictionibus dono alienam. Solet olim apud Græcos celebrari proverbio hic verſus,

Μίνθην ἐν πολέμῳ μήτ' ἔσθιε μήτε φύτευε.

Mentam nec comedas, nec plantes tempore belli.

Ariſtoteles huius rei cauſſam quærens XX. Probl. XXXVI. hanc problematice reddit : Ἢ ὅτι καταψύχει τὰ σώματα; δηλοῖ δὲ ἡ τοῦ σπέρματος φθορά. τοῦτο δὲ ὑπεναντίον πρὸς ἀνδρείαν καὶ θυμὸν, τὸ αὐτὸν ὂν τῷ γένει. *An quia Menta refrigerare corpora poteſt, ut corruptione conſtat ſeminis genitalis? Id autem ipſum adverſum omnino eſt ad fortitudinem, atque animoſitatem, quamvis genere ſit idem.* Quæ refrigerare dicitur Ariſtoteli, eam Hippocrates, nec non Dioſcorides calidam ſtatuunt, & Galenus quidem tertio ordine. Hoc odor eius, ſapor, & liquefaciendi facultas non obſcure indicant. De odore Plinius XIX. Nat. VIII. *Mentæ nomen ſuavitas odoris* (ἡδύοσμος enim appellatur) *apud Græcos mutavit, cum alioqui Mintha vocaretur: unde veteres noſtri nomen declinaverunt*, non tamen exacte, ut ſolent Romani, Græcas literas expreſſerunt, Mentam ſcilicet pro Mintha, ut etiam apparet ex epiſt. Ciceronis ad Pætum lib. IX. ubi pro Stoicis diſputat de libertate loquendi : *Ruta, & Menta, recte utrumque volo mentam puſillam ita appellare, ut rutulam : non licet*, Iunguntur odore fragrantes in Priapeijs.

Mentamque olentem cum ſalubribus rutis.

Eodemq; epitheto donatur ab Ovidio. X. Metam.

an tibi quondam

Fœmineos artus in olentes vertere mentas

Perſephone licuit?

Vbi reſpicit ad fabulam, cuius meminerunt Strabo, & oppiani interpres, qua Mintha, Plutoni adamata nympha, fingitur, à Proſerpina in hanc herbam mutata. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Pergit Plinius: *Grato menta menſas odore percurrit in ruſticis dapibus.* Et lib. xx. cap. xiv. *Mentæ ipſius odor animum excitat, & ſapor* (qui Galeno acer, à calore in tenui ſiccaque materia) *auiditatem in cibis. Ipſa aceſcere, aut coire, denſariq; lac non patitur, eadem vi reſiſtere, & generationi creditur, cohibendo genitalia denſari.* De lactis prohibenda coagulatione conſentiunt Dioſcorides, & Caſsianus, de fœcunditate, ſiue conceptione cum Hippocrate idem Dioſcorides lib. III. cap. XXXV. cui γυναιξὶ πρὸ τῦ πλησιάζειν προστιθέμενον, ἀσυλληψίαν ἐργάζηται, *vuluæ ante coitum admota, conceptionem impedit.* Vt iam non in dubium vocem, quomodo, cum adſtringat atque ſiccet, vt ſcribit Dioſcorides, æque maribus, ac fœminis (quod eſt apud Plinium cit.) ſiſtat ſanguinem, & purgationes inhibeat: arterias humidas ſiccet, ſiccas adſtringat, quomodo inquam, ſemen (vt vult Hippocrates) ita liquefacere poteſt, vt effluat: ea tantum examinabimus, quæ ſpectant interpretationem problematis. Hippocratis locus eſt lib. II. περὶ διαίτης, quem hæc apponam: Μίνθη θερμαίνει καὶ ὑγραίνει (?) ἐρέεται, καὶ ἐμέτους ἵστησι καὶ ἢν πολλάκις ἐσθίῃ τις τὸν σπόρον αὐτῦ

τήκει

τήκει ὥστε ῥέειν ϗ ἐκτείνειν κωλύει ϗ τὸ σῶμα ἀσθενὲς ποιεῖ. *Menta calefacit, urinam conciat, vomitus comprimit, ſi quæ ea ſæpe numero quis veſcatur, illius ſemen ab ipſa ita liquatur, vt fluat, ad hæc tentiginem arcet, imbecillumque corpus reddit.* Ex quibus verbis emendandum Ariſtotelem cenſet Mercurialis IV. Var. Lect. VIII. & apud eum pro καταψύχει legendum vult κατατήκει, quod menta non refrigeret, ſed colliquet. Quia in hanc arenam me, vir clariſſime, provocaſti, ne ἀσύμβολος ſim, quæram an non queat retineri vulgaris lectio, ſi intelligere, & docere voluiſſe dicatur Ariſtoteles (vt medici Rhabarbarum, & alia, licet calida, refrigerare ſtatuunt, quatenus bilem, quæ calefacit, educunt) mentam refrigerare, cum ſæpius comeſta liquefaciat, & effluere cogat ſemen, quod alias calore & ſpiritibus corpus fovet, ac proinde id ipſum frigidius, & debilius relinquere? Et profecto ratione ſeminis, quod Hippocrati igneum, & aereum dicitur, non teſtium, (licet in ijs alterum caloris fontem ſtatuat Galenus) cum frigidi ſint, & exangues, totus corporis habitus in eunuchis redditur frigidior. Quod & apud Plinium loco iam laudato pro *genitalia* Mercurialis legit *genituram*, aut *genitale* ibi, & lib. xx. cap. xxI. pro genitura eum putat vſurpaſſe paucis diſcutiendum. Loco iſto, de Malva ita ſcribit: *Semen tritum adalligant brachio, genitale non continentium*, ſubintelligo ſemen, nam illa vox repetenda. Et hoc eſt genitura. Virgilius II. Georg.

ſumit

ſumit de ſeminibus, quæ terræ mandantur.

Vere tument terræ, & genitalia ſemina poſcunt.

Sed quid facies iis, quæ proxime ſequuntur? *Adeoque eæ Veneri naſcuntur, ut ſemen unicaulis aſperſum genitali, fœminarum aviditates augere ad infinitum, Iſocrates tradat.* Hic Genitale non poteſt aliter accipi, quam pro pudendo muliebri, quod etiam genitale arvum dicitur poëtæ. Quid ſi igitur his Plinii verbis *cobibendo genitalia denſari*, ſtatuamus expreſſum eſſe illud, quod ſtatim citavimus, Hippocratis; κωλυει ἐκτείνειν *prohibet extendere, arrigere, ſeu mentam puſillam denſiorem & majorem reddere.* Ita denſa relaxantibus oppoſuit poeta 1. Georg.

--- & Iupiter humidus auſtris

Denſat, erant quæ rara modo, & quæ denſa relaxat.

Malim tamen loco Pliniano ſubintelligere ſemina. Quod Ciceroni membrum virile, Plinio ſunt abſolute virilia, qui etiam genitale loco jam allato dixit pro genitali membro, & ſic ſanguinem menſtruum appellamus, & abſolute menſtruum; atque eodem fortaſſis modo liceat dicere genitale ſemen, & ſimpliciter genitale, ut videtur arbitratus fuiſſe Mercurialis. Sed hæc propemodum ἐκτὸς τῶν ἐλαιῶν. Poſito jam Ariſtotelem, vel ex emendatione Mercurialis, vel ex interpretatione noſtra, non pugnare cum Hippocrate, & utrumque ſtatuere mentam calidam ſemen corrumpere, & Veneri obeſſe, quomodo eos conciliabimus cum Dioſcoride, qui ſcribit eum τὰ ἀφροδίσια ἐρεθίζειν

Venerem

Venerem ſtimulare? Ne nihil dicam, aliquid in medium afferre placet, quo, quæ è diametro ſibi oppoſita videntur, coaptari forte poſſint. Quid ſi ſtatuatur Mentam modico uſu, & cum quis eam comedere primum incipit (nam Dioſcorides abſolute id ei adſcribit) ad coitum, & ſeminis excretionem calore ſuo, & acrimonia incitare, deinde crebriore uſu (Hippocrates hanc conditionem addit, ἢν πολλάκις ἐσθίῃ τις iiſdem qualitatibus turgentes ſpiritus diſſipare, ſemenque adeo liquidum reddere, ut ſponte effluat, unde corporis refrigerium, & debilitas? At tali corpore, nec fortes, nec animoſi, ac propterea prœliis minime idonei. Quia etiam bello ſolenne eſt

Πολλὰς ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προϊάπτειν

quo alii in defunctorum locum ſuccedere poſſint, non ſerendæ tum temporis, nec plantandæ mentæ, quæ παιδοποιΐαν impedit ideoque κακὴ βοτάνη dicta. Hæc de Menta. Decreveram ſimilia addere de Lauro, & Hedera, doctarum prœmiis frontium: ſed video me jam dudum tranſiliiſſe limites epiſtolæ, quare deſinens peccare in publica commodo ἐπέχω (qui nihil aſſerens ſcripſi) donec politiſſima judicii tui lima hæc impolita radantur. Vale, Vir ampliſſime, & me nominis tui cultorem amare perge. Dordrechti Id. Jun. CIↃ IↃC XLIII.

IOHANNI

IOHANNI BEVEROVICIO,

Senatori & Medico Dordrechtano, & primariæ Batavorum urbis ad comitia Ordinum Bataviæ delegato.

ANCHISES AB ANDLA.

S. P. D.

VIr eximie; Debueram & voluntas huc ferebatur ad tua citius reſpondere, ſed invalitudo & publicarum occupationum cumuli retinuerunt, tandem igitur in Batavos regreſſurus per feſtinantiam facere coactus quod ſpatijs excluſus iniquis mente libera & per otium non potui, illevi chartæ, quæ legis, eruditione tua indigna & non cognoſcenda homini κριτικῷ. Nam & ante longum tempus his literis repudium miſi. Præterea priora literarum tuarum, rectà ad τὴν μίνθην me confero.

In Ariſtotelis loco vindicando ab emendatione Hieronymi Mercurialis, nihil impedit, quo tibi non aſſentior. Sect.xx.probl.2. quæ adducis Proverbialis eſt verſiculus.

Μίνθην ἐν πολέμῳ μήτ᾽ ἔσθιε μήτε φύτευε Quærit Philoſophus an non hæc ſubſit ratio, quæ Adagio huic originem dederit, ἢ ὅτι καταψύχει τὰ σώματα δηλοῖ δὲ ἡ τοῦ σπέρματος φθορά, τοῦτο δὲ, ὑπεναντίον

πρὸς ἀνδρείαν καὶ θυμὸν, ταυτὸν ὂν τῷ γένει. Quod verò: *An quia infrigidat corpora? Id quod indicat corruptio ſeminis. Hoc autem adverſum fortitudini & animo, cum idem ſit genere.* Semen corruptum indicat, καταψύξιν τῶν σωμάτων infrigidationem corporum, quia calor conſtringit & denſat. Eſus autem mentæ liquidam & ineptam reddit genituram ob infrigidationem, Sic in ijs, qui perfuſi vino Corpora & liquefacti ἐξίτηλοι καὶ ἀπλεῖς εἰσιν αἱ πρὸς τὰς γυναῖκας ὁμιλίαι, διὰ φαυλότητα καὶ κατάψυξιν τοῦ σπέρματος, ob futilitatem & refrigerationem ſeminis. Citò evaneſcunt illæ ὁμιλίαι, quia effluit genitalis humor ob defectum craſsitiei debitæ. Talem naturam vini immoderatior uſus ſemini communicat & facit hoc idem iuxta Ariſtotelem ἡ μίνθη. Quibus verò Natura flacceſsit ἐν ταύτης τῆς ὁμιλίας, in eis facilè remittit impetus belli ardorque animi καὶ πρὸ γε ποτὶ κάμπτει θυμὸς, priuſquam opera Heroica edere poſsint, ad quæ & impetu & continuato feruore Martis pulli indigent.

Sed mentam refrigerare τοῖς ἰατρῶν πᾶσιν παράδοξον & inſolitum eſt, quia omninò calidæ qualitatis eſſe perſuaſum habent. Facilis videtur eſſe reſponſio, non eodem modo τὸ καταψύχειν vſurpari. Dicitur enim id καταψύχειν. quod *frigidi ſenſu perfundit & rigorem communicat*: & altera notiore eſt *languidum & debile reddere.* θερμοὶ καὶ ψυχροὶ qui dicantur, notum illi valido impetu & actuosè

actuosè feruntur, inque cæptis ſuis conſtantes, quicquid moleſtiarum obvenit, devorant. Non enim ad opus proſiliunt tantum ſubiti, ſed & perſiſtunt, inſtant, vrgent, τὸ γὰρ θερμὸν κινητικὸν ϗ ἀνδρῶδες ψυχροὶ languidi ſunt & debiles, ſi forte exiguus quidam calor excitaverit, qui extrinſecus inciderit, is citò evaporat primis motibus & deſtituit. θερμὰ σώματα hoc ſenſu, vegeta, acria, valida, & ψυχρὰ, languida & debilia.

Dicamus ergò Hippocratem medicorum more locutum eſſe de ſenſu caloris, quo Menta afficit & imbuit corpora; Ariſtotelem autem loqui de effectu ex calore tali reſoluente, quo corpora effæminantur & elangueſcunt. Et hæc ipſa ſunt, quæ tu vir Præſtantiſsime dixiſti. Menta liquefacit calore ſuo acri & facilè penetrante. Hinc eſt ὀυρητικὸν, qualia, teſte Ariſtotele, non tantum debent eſſe θερμὰ ἀλλὰ ϗ ἐυπεπλα, ὅπως συγκαπ ὀντα λεπλύνη τὰ ὑγρά. Penetrabilitas illa liquefacit, vnde fluor & affluxio. ταχὺ γὰρ λεπλυνεται ἐνοῦσα θερμότης, ait idem ille Ariſtoteles, *citò enim, qui ineſt calor, extenuat.* Non tam communicat & indit corpori calorem, quàm vim extenuandi; deinde ob extenuationem debilitat & infrigidat. Si calor ipſi ineſſet non cum acrimonia, poſſet corroborare, nunc autem acrimonia iſta diffindens & diſſoluens, inducit reſolutionem & exſpirationem ſpirituum, languorem aut debilitatem.

Irritat quidem venerem, ſed nimio & frequenti

ti vſu ſemen liquefactum effluit ſine ἐκτάσει. Voluerit ergo Philoſophus debilitari ea poteſtate mentæ corpora, quia liquefiant, ſicuti ſemina extenuatione illa corrupta nihili ſunt. Ideo τὸ σπέρμα ψυχρὸν, dilutum & tenue.

Odoratiſſima menta eſt, vnde ſortita apud Græcos vocabulum τὸν ἡδύοσμον, quamvis Plutarchus deferre velit ab hoc τὴν μίνθην vicinam tamen affinemque herbam.

At quia ἀνεπιτήδειον εἰς τὰ ἀφροδίσια τὸ ἡδύοσμον vt ait Florentinus 12. Γεωπονικῶν, muliercuiis κάκοσμον fiat, quod habitum corporis frigidum efficiat. Igitur τὸ καταψύχει non de infrigidatione prima, quæ eſt actus communicati à menta, ſed de habitu conſequente intelligamus. Hæc eſt κατάψυξις vel θήλυνσις, efficiuntur κατεψυγμένοι, qui ſæpè edunt mentam, licet titillatio in illis ſit, hoc eſt ἐρεθισμὸς Dioſcoridis, tamen ea ſine effectu eſt, quia non arrigit ob tenuitatem & fluiditatem nimiam τῶν σπερμάτων; ſi arrigat citò remittit, quia debile corpus reddit & ſpiritus diſſipat.

Igitur menta diuerſo reſpectu calefacit & refrigerat. Calefacit, quia concitat feruore ſuo venerem & irritat, Refrigerat, quia ſpirituum diſsipatione & inciſione humorum, debilitat & languefacit.

Tribuit ipſi Hippocrates τὸ τήκειν τὸν σπόρον *colliquare* quod omninò eſt τὸ θερμὸν, quod rare-

rarefacit & relaxat & ſoluit, ſeparatque τὰ ἑτερογενῆ. Ariſtoteles : διὰ δὲ τὴν θερμότητα ὀυρητικὰ μᾶλλον μέντοι συντηκτικά. Sic & ipſi τὸ συντήκειν á calore. Nos illum calorem ab elementari diſtinctum eſſe arbitramur, qui eſt in ſaporibus, nec niſi per reſolutionem corporum ſentitur, ſcilicet totius ſubſtantiæ aut quinti Elementi, ſed hæc huius loci non ſunt.

Genitalia apud Plinium, omnino eſt genitabilis humor, ἡ γονὴ, quem denſari oportet ad generationem, quique non continetur á γονοῤῥοικῶς. Ita accedimus politiſſimo tuo iudicio, & qui aliter poſſemus vir clariſſime & eruditiſsime, cum ipſa res & ratio loci approbent.

Tu quidem crocitationes noſtras admittes ſuauiſsimis Muſarum tuarum cantionibus ſuccinere, & ſimilis farinæ alia volentibus nobis proferes. Huc & Patriæ uſibus te Deus Opt: Max: diurnare velit. Vale & me amare perge.

Ex Andlano meo in Ried ipſis Calendis Septemb. 1643.

IOHANNI

IOHANNI BEVEROVICIO.

BALTHASAR LYDIVS.

S. P. D.

CLariſſ.D.Doctor, de Lyncurio quod quæſiviſti iudicium meum en habes,ſed languens, vt ego nunc,animo & corpore.Ne vager,hoc σκάμμα hanc lineam obſervabo.Dicam de nomine,poſtea de viribus.

Nomen Ebraicum [*LESCHEM*] , cuius mentio Exod. 28. 19. *Lyncurium* & *Ligurium* quidam verterunt. Targum Chaldaicum habet, [*KANCCERE*] , vbi tres conſonantes nominis Lyncurij habes N. C. R. quæ affinitas nominis non prorſus eſt ſpernenda. Græci λίγυριον Neutro genere vocant. Sic Ioſephus de captiv.iud. lib.2. Lib.3. Antiq. Iud. cap. 8. legitur, λίγυρος, interpres habet Lyncurius.

Alijs autem ſcribentibus λυγγούριον , vbi audis λυγγὸς οὖρον, fabula hinc nata eſt de Lyncis vrina,ex qua lapis concreſcat, cùm potius à Liguria, vtStrabo libro 4. Geographiæ indicat, nomen habeat, πλεονάζει γὰρ τὸ λιγύριον παρ' αὐτοῖς. Sed non tantum Plinius Natur. hiſt. lib. 37. cap. 10. fabulam hanc de vrina lyncis ridet, ſed etiam Brodæus Miſcellan. lib.3.cap.10.ſcribit enim,eos, qui Lynces diu voluptatis gratia in leporarijs ſuis

L alue-

molimine multi de Gemmis ſcripſerunt. Rectius ergò Medicorum filij fecerint, ſi in morbis acutis & periculoſis, qui celeritatem poſtulant, à talibus pharmacis manum abſtineant, certiora ſectantes. Galenus 9. ſimplicium, Gemmas, vires ſuas habere dicit, partim ſecundum ſubſtantiæ totius proprietatem, partim ſecundum qualitates effectrices, quas φαρμακευτικὴ contemplatur. At ſubſtantiæ totius proprietates, humanæ rationis fugiunt captum, quis enim intelligit mixtionis modum, aut formæ ſpecificam rationem, ex quibus tamen proprietatis cognitio, vera methodo colligenda eſſet? Qualitates effectrices, veſtra φαρμακευτικὴ in dubium vocat, nam Medici hic certant, & adhuc ſub iudice lis eſt. Quin ergò omiſsis incertis, certiora ſectamini?

Quæ de viribus Lyncurij afferuntur, hæc fere ſunt.
Theophraſtus de lapidibus, editionis Heynſianæ pag. 395. Lyncurij meminit, & cum Succino coniungit, nullius tamen vſûs in medicina meminit, non omiſſurus, ſi cum vulgi opinione faceret.

Solinus cap. 8. *Dolores renum ſedat, regioque morbo medetur.*

Albertus Magnus Mineralium lib. 2. cap. 10. Dicit valere contra dolorem Stomachi, icterum, & fluxum ventris.

His gemina ſunt hæc Marbodæi Cœnomanenſis, de Lyncurio:

Affirmant ipſum ſtomachi placare dolorem,

Ictericis etiam priſcum reparare colorem,
Et perturbati compeſcere reumata ventris.

Alius hæc de Lyncurio ſcripſit,

Lingurum prægnans, Lingurum ſigerat infans
More ſuo minus vt timeant, lingurus habebit.
Regius & morbus linguro vincitur hauſto,
Si teris in vino, permixto pulvere gemmæ.

Geſnerus, dicit Saxones & Hiſpanos medicos, calculos hoc medicamento comminuere.

Etiam ad pleuritidem valere putatur, hoc argumento, quod mucronem habet. O acumen. Eodem argumento urunt hunc lapidem ad dolores dentium. Quis non in hæc Satyram? Præter promiſſum, larga manu ſero, & omnia converro.

Expendendum etiam puto, an non Lyncurius, idem ſit cum Tecolitho, lapide Iudaico, de quo Galenus libr. 10. κατὰ τόπους, Ægincta, Aëtius Dioſcor. lib. 5. cap. 155. Plinius libr. 37. cap. 10. vbi pro *lingentium* reponendum *bibentium* Solinus cap. 40. Serapio libr. aggregationum.

Hermolaus Barbarus in corollar. ad Dioſcorid. 990. dicit à Galeno falſum hoc exiſtimari quod calculos abſumat. Locum non annotavit, ſed eſt, 9. Simplicium vbi negat ad veſicæ calculum hunc lapidem conducere, ad eos verò qui renes obſident calculos, non parum efficacem eſſe fatetur.

Aëtius, in veſicæ calculis, nihil eximij præſtare dicit, licet hoc Nechepſus putaſſet. Hæc ſuper hac

re

re à me extorta,boni conſule,ſi quid ad vſum, colligе,In omnibus ignoſce.

ANDREÆ COLVIO,

Theologo Dordrechtano,

IOH. BEVEROVICIUS.

S. P. D.

REverende, & clariſſime vir, cum ſæpius vnà ſoleamus,non ſine ſacra diuinæ ſapientiæ admiratione perſcrutari naturales rerum cauſſas,nuper etiam,apud *Τὸ φίλτατον κάρα*, Vivienum noſtrum,quo nihil candidius terra tulit, neque cui alter nobis devinctior, incideremus in illas mirabiles,& captum humanum,vt nobis videbatur,excedentes, de regimine orbis, & rerum publicarum; quæ tu tum, quæ laudatus modo Bovinij toparcha, in medium attuliſtis; animo poſtea mecum voluens, viſum mihi hoc epiſtolio vt & alij è Socraticis ſermonibus fructum pietatis & doctrinæ caperent, conſignatam ſcripto petere tuam in hac re ſententiam. Eſt vetus querela

> τολμῶ κατειπεῖν, οὐκ εἰσὶ θεοί;
> κακοὶ γὰρ εὐτυχοῦντες ἐκπλήττουσί με.
> *Audeo dicere, ſuntne dei?*
> *Mali enim felices attonitum me reddunt?*

Sed parum me movet, quod bonis hic male, & malis

malis plerunque bene ſit, cum ex eo pœnas hos in alia vita, prœmia illos manere intelligam: Sed iſtud inprimis, quod bonorum & prudentum conſilia, quæ ad bonum publicum diriguntur, pravorum hominum artibus ſæpe eludantur, vel etiam ſponte corruant, & è contrario,

Οἷσιν οὔτε βωμὸς, οὔτε πίστις οὔθ' ὅρκος ἰσχύει,

Quibus nec ara, nec fides, nec jusjurandum firmum manet,

pleraq; ex voto ſuccedant, quorum facta, tanquam prudentiæ innixa, ab eventu probantur. Tales ne id, quod ſunt, videantur, cum Machiavello cenſent religionem & pietatem ſimulandam eſſe, cum Cæſare jus, & fidem regnandi gratia violandam, cum Lyſandro ac Dionyſio, ut pueros talis, ita viros juramentis decipiendo. Hi, quibus Tyrannicam poteſtatem adepti artibus, iiſdem partam conſervare ſtudent, ac proinde meliorum capitibus inſultantes, quorum virtutes, tanquam libidini ſuæ adverſantes ferre non poſſunt, omni eos genere injuriarum proſequuntur, vel etiam innocentibus crimina affingunt, quo eos media tollentes, liberius in quodvis graſſandi habeant poteſtatem. Exempla paſſim in hiſtoriis obvia. Hæc ſollicitarunt olim Epicuri ſectatores, Deos (nullum enim numen eſſe, non crediderim cadere in mentem humanam, quamvis nonnulli aliis, imo ſibi ipſis ἄθεοι videantur) parum curare actiones humanas, quod ex eorum opinione exprimit Poeta

eo libro, quem olim pueri, ſub magno Voſſio, audivimus,

Scilicet is ſuperis labor eſt, ea cura quietos
Sollicitat.

Sed ſaniorem doctrinam haurimus ex infinitis S. Scripturæ locis, quę congeſta videre eſt apud Adamum Contzen. 1. Polit. v 1. Et profecto ſi paſſerculus non decidit in terram ſine voluntate domini, & ipſe Plato agnoſcat deum etiam rebus minimis providere, quis credat ei curæ non eſſe hominem, animal ad imaginem ſuam factum. Homo habet imperium in reliqua animalia, rex in reliquos homines, ſed

Reges in ipſos imperium eſt Iovis.

Sic docet Ariſtoteles 11. Metaph. unum eſſe deum, omnium adminiſtratorem, & ante eum Plato 1. de Legib. remp. ſine divini numinis nutu, & ope non poſſe adminiſtrari. Quin & Cicero, qui tam multa de diis diſputat; Stabit illud, inquit lib. 1. de Divinatione, quod locum hunc continet, de quo agimus eſſe Deos, & eorum providentiâ mundum adminiſtrari, eoſdemque conſulere rebus humanis, nec ſolum univerſis, verum etiam ſingulis. Meminiſti nobis referre theologum Pariſienſem de Sabatariis, qui magno numero in Tranſilvania, cum nullam colant religionem, agnoſcere tamen Deum, & divinam ejus in regimine mundi providentiam. Non eſt tamen, quod hic ad Fatum confugiamus, ut fecit Appianus, cum ſcribit fato dele-

tam Carthaginem & Luçanus, qui cauſſas belli civilis in fatum confert,

Invida fatorum ſeries, ſummiſque negatum,
Stare diu, nimioque graves ſub pondere lapſus.

Nec meliori jure Fortunæ, quam (ut eſt apud Pacuvium) inſanam eſſe, & cœcam, & brutam perhibent philoſophi, hic quicquam tribuendum eſſe nonnulli cenſent. Veteres Timotheum pingebant dormientem, fortuna interim circumeunte, & urbes in unum rete contractas, ei tradente. Sed ille res à ſe præclare geſtas fortunæ, ut invidiam declinaret, prudenter aſſignaverat. Rectè Pyrrhus Romanis bellum inferens apud Ennium, citante Cicerone lib. 1. Offic.

Vos ne velit regnare Hera, quidve ferat ſors,
Virtute experiamur.

Neque enim putandum, quæ optamus, velut aurum in Stanaes ſinum, ultro caſura. Placet hoc Spartanorum, Admota manu Fortunam invocandam Intellige Deum (neque enim *Te facimus Fortuna deam.*) Nam ſic & Attici σὺν Ἀθηνᾷ καὶ χεῖρα κίνει. Sed tu hæc melius, quare deſino, & te quam optime valere jubeo. Dordrechti 11. Eid. Novembr CIↃ IↃ C XLII.

IOHANNI

IOHANNI BEVEROVICIO,

Archiatro, & Senatori Dordraceno,

ANDREAS COLVIVS. S. D.

QVomodo iuſtiſſimus Deus, ſit Rector & arbiter rerum humanarum, quomodo medijs actionibus, animis & cogitationibus Principum hujus mundi interveniat, cum bonis adverſa, malis proſpera quotidie contingere videamus, ſollicitum te tenet cum ſummis ingenijs, præſtantiſſime Beverovici. Ζήτησις illa, ſive hoc ἄτοπον humanæ rationi, exercuit & vexavit ab omni ævo, doctos pariter & indoctos, profanos & ſacros Scriptores. Hinc cæci Gentiles aut nullum eſſe Deum, aut crudelem vel ſaltem iniuſtum concluſêre.

Marmoreo Licinus tumulo iacet: at Cato parvo:
Pompeius nullo: credimus eſſe Deos?

In morte Tibulli Ovidius:

Cum rapiant mala fata bonos, ignoſcite faſſo,
Sollicitor nullos eſſe putare Deos?

Libidinoſum adoleſcentem impudica mulier fefellit, exclamat ſtatim

Eſſe Deos credam ne? fidem iurata fefellit.

Mortem immaturam filij lugens,

Atq; Deos atq; aſtra vocat crudelia mater.

Res

Res humnanas ordine nullo
Fortuna regit, ſpargit manu
Munera cæca, peiora fovens.

Seneca in Hyppolyto.

Cur ſceleratis ſol oritur, & pyratis maria patent?

De Benet. c. 25.

Boethius. *Premit inſontes*
Debita ſceleri noxia pœna:
At perverſi reſident celſo
Mones ſolio, &c.

Hinc Brutus & Cotta apud Ciceronem accuſant ipſam virtutem tanquam ingratam & ſterilem

Te colui virtus ut rem, aſt tu nomen inane es.

Ipſe Cicero præſcientiam rerum futurarum, præſertim fortuitarum aufert a Deo, id eſt viſum ab oculo, & ita dum homines vult facere liberos, facit ſacrilegos.

Alius oppoſitam partem tuetur, & fato omnia ſubijcit,

Fata regunt orbem, certa ſtant omnia lege,
Longaq; per certos ſignantur tempora curſus.

Tertius humanam prudentiam numinis loco ponit

Nullum numen abeſt ſi ſit prudentia
Dextra mihi Deus & telum quod miſſile libro.

ait impius Turnus apud Virgilium. Et furibundus Aiax, ne Deos quidem in ſumma neceſſitate invocandos putat.

Huiuſcemodi homines fluctuantes in hoc mundi

mundi ſalo ſine verbo Dei,athei fiunt quibus monſtris hoc noſtrum ultimum & peſſimum ſæculum proh! dolor, abundat, Noſti proverbium Italicum, Bono politico, cattivo Chriſtiano, ſæpius te dicentem audivimus: razon del ſtado,razon del diavolo.

An non inter Chriſtianos agnoſcimus flagitia dominationis,ius cruentum, fictam Religionem quæ vult uti Deō non frui,peſſima axiomata politica, quæ ſaniores Ethnici etiam deteſtati ſunt,huiuſcemodi ſunt : Regni cauſſa ius violandum eſſe. Vbi honeſta tantum dominanti licent,precario regnatur. Omnia eſſe virorum fortium in fortuna ſumma id æquius quod validius. Principi nihil iniuſtum,quod fructuoſum. Iuramentis ludere & fallere.

Sceptrorum vis tota perit, ſi pendere iuſta.
Incipit. Sanctitas, pietas fides, Privata bona ſunt.
Quà libet Reges eant.

Hæc ſunt impia illa dogmata quæ Tranſalpinus ille doctor ſuis inſpirat,cuius dicto plures obediunt,quam verbo Dei.

Sed ut diximus etiam pios & in ſacris exercitatos hoc mundi regimen interdum anxios reddit. Ingruentibus malis ingemiſcit Gedeon Iud. 6. 13. *Si Deus nobiſcum unde ergo iſta nobis eveniunt?* Iob. 21. *Quare impij vivunt,ſublevati ſunt,confortatiq́ divitijs? Pæne effuſi ſunt greſſus mei, cum proſperitatem impiorum viderem.* Pſ. 73. *Quare via impiorum proſperatur*

tur? ait Ieremias c. 12. *Revera, fratres mei, nullum mare tàm profundum eſt, quam iſta cogitatio Dei vt mali floreant, & boni laborent*, inquit in diuinis exercitatiſſimus Auguſtinus.

Secretum Domini timentibus ipſum, & fœdus ſuum illis notum faciet. Pſal. 25. Quærite ait dominus & invenietis. Vnionem in maris profundo, lapides pretioſos in ima tellure quærimus. χαλεπὰ τὰ καλά. Summi gubernatores in magnis tempeſtatibus à vectoribus admoneri etiam ſolent, ait Cicero. Ad clavum Reip. ſæpius iuvenes indocti & inexperti admittuntur. Qui non debent ſana conſilia Theologorum ſpernere. Ipſe Poëta Ethnicus exclamat:

Heu primæ ſcelerum cauſſæ mortalibus ægris,
Naturam ignoraſſe Dei.

Rebus humanis ſeſe immiſcere divinam ſapientiam, licet maxima in ijs ἀταξία videatur, optime probari poteſt argumentis moralibus & politicis. Nam in hâc materia non debemus requirere ἀκρίβειαν mathematicam, evidentiſſimas & apodicticas rationes. Deus enim, vt ait Auguſtinus l. 7. de ciuit. Dei cap. 30. quæcunque creavit, ſic adminiſtrat, vt ſuos exercere & agere motus ſinat, neceſſariæ agunt neceſſariò, contingentes, contingenter. Liberæ liberè. Et hoc decet ordinatiſſimam eius ſapientiam, & eſt conveniens naturis rerum. Alio modo lapidem, alio modo horologium movemus,

Alio

Alio modo concurrit Deus, cum formas dat rebus naturalibus alio cum ſeſe immiſcet voluntati noſtræ, quæ habet motum proprium, cui bellum inferunt ſæpiſsimè tumultuantes affectus, & ſi operationes proprias intellectus & voluntatis noſtræ non intelligimus: quis intelliget & diſtinguet divinum concurſum? Nullus Philoſophus habetur qui in rebus Phyſicis Deum ſtatim & ſemper, & vbique pro cauſsâ allegat: Sed qui in rebus Politicis aliam, præter ſummum Rectorem, cauſſam quærit, meritò nobis exſibilandus & pro Chriſtiano non habendus eſt. Quia nec optima nec peſſima hominum conſilia ſufficiunt ad mundi gubernationem, mole ruunt ſua maxima corpora: ſua ſponte omnia ad nihilum vergunt. Maior ergo hic vis, alia ſapientia & prudentia quam humana requiritur, quod jam nobis probandum incumbit, Cl. Beverovici.

Ἄνθρωπος φύσει πολιτικὸν ζῶον, inquit Ariſtot. l. 1. Polit. c. 2. Qui ſemper ſolus eſſe poteſt, vel eſt bellua, vel Deus. Beſtiæ pilis à naturâ veſtiuntur, armantur cornibus pabula obvia vbiq; inveniunt, contra morbos proprios remedia ex inſtinctu naturæ agnoſcunt. Homo autem, cujus cauſsâ omnia alia genita ſunt nudus & inermis naſcitur omnium egenus. Flens animal, cæteris imperaturum, morbis infinitis obnoxium. Quocirca non ſolum miſerrimus foret, ſed ne foret quidem ſi extra ſocietatem viveret. Nudum autem hominem, Deus tribus

bus armavit præſidijs, ratione ad inventionem, ſermone ad auxilium, manibus ad perfectionem. στοργὴ parentum, infantium defectus abunde ſupplet & hominem eſſe animal ſociale oſtendit. Hinc combinationes maris & fœminæ, parentum & filiorum, Domini & ſervi. Vnde prodeunt familiæ, vrbes, provinciæ, regna & imperia. Quorum ſupremus Princeps & Rector, Deus eſt. Nam ſicut pecudes non poſſint regi à pecudibus, ſed reguntur ab homine. Ita homines non poſſunt regi ab hominibus, ſed reguntur à Deo. Quod etiam Plato vidit, quis inter homines αὐτάρκης, quis ſibi ſemper & ſolus ſapit, quis ſua ſponte omnia poteſt addiſcere, quis regere omnes animi impetus? Alios reget, impotens ſui? quis dabit, quod non habet? ad regnandum Spiritus heroici requiruntur: qui è cælo deſcendunt, *nemo enim vir magnus ſine aliquo afflatu diuino unquam fuit*. vt ait Cicero l. 2. de nat. Deorum. Et Ariſtot. in Ethicis l. 1. c. 9. l. 10. c. vlt. *Virtutes aſſequi diuinum munus eſt*. Quis non obſtupeſcit, cum videt centena millia hominum, inter quos pauci boni, multi ſuperbi & præfracti, obedire dicto vnius Principis, qui ſæpe invalidus ætate, vel moribus depravatus: tamen ad ejus ſolius nutum, ſubditi pro eo opes vitamque quam tantopere amant, impendunt. Et tam ipſis hoc eſt naturale, vt malint homines vni impio ſubeſſe, quam nulli. Anarchia enim omnia peſſundat. Hic eſt digitus Dei. Sapientiſſimus Iob cap. 9. *Terræ gubernatio*

Digitized by Google

natio impio permittitur,qui faciem judicum eius obvelat, ſi hæc Deus non agit,cedo vbi alius ſit,qui agat? Imperator Maximilianus dicere ſolebat: Deus æterne, niſi vigilares quam eſſet male mundo,quem regimus nos,ego miſer venator, & ebrioſus ille ac ſceleratus Iulius. Quocirca impiorum regnum, quod nos offendit, oſtendit magis Deum mundo præeſſe,quam piorum & fortium, quorum prudentiæ alijſque virtutibus alioquin euentus attribui poſſent.

Quis reperiri poteſt oculis & mente præditus qui non videat & animaduertat in omnibus & ſingulis partibus huius orbis ſummam potentiam, ſapientiam & bonitatem. Quæ tria ſæpius celebrat Galenus in libris de vſu Partium, in omnibus naturæ numen, honeſtum, pulchrumque ingenium, vt quod Heraclitus de caſa fumaria dixit, etiam hic dij ſunt, de omni natura dicere liceat, inquit Ariſtot.l.1.cap.5.de Part. Anim. Plinius l.7.cap.2. *Naturæ rerum vis atque maieſtas in omnibus momentis fide caret*. Verè & egregie dictum. *Opus naturæ*, inquit Averroës, *opus intelligentiæ*. Tantum eſt in ſingulis naturæ operibus artificium,tanta ſubtilitas,vt nulla ars ea vel milleſima ex parte aſſequi,nullum ingenium comprehendere poſſit. Et quiſpiam erit tam rationis inops ut ea quæ tam eminenti ratione conſtant, ſine ratione effecta eſſe putet? Sol, aſtra,calor hæc efficere non poſſunt,terrum,inquit Ariſtot.l.2.de gener. Anim.c.1. durum aut molle effici-

efficitur calore vel frigore ; at vero enſis à motu inſtrumentorum, qui artis obtinet rationem , ſive ergo hanc virtutem plaſticam , naturam, ſive colchodeam vt Avicenna, ſive alio nomine vocemus, divinam eam eſſe omnes docti & indocti pariter agnoſcunt , admiramur artefactas columbas & muſcas volantes , ſphæram Archimedis motus cæleſtes referentem, pulices catenatos, & neuroſpaſtas. Quæ à Deo quotidie fiunt ne adſpicimus quidem , quam hoc inſanum ectypum demirari non verò prototypum?

Sed quorſum cælum, terra, elementa , metalla, flores, herbæ, arbores, omnia animantia , omnis hæc pulchritudo, ſtupenda ſtructura, varietas formarum. Si non ſit qui iſta poſſit percipere, diſcernere, mirari, laudare, vti, frui, voluptatem ex illis capere. Quid erit hæc tam magnifica domus ſine incola ? Homo eſt huius aſpectabilis mundi finis, eſt rerum omnium menſura , mundi epitome & deliciæ naturæ vocatur à Plinio. Horizon corporeorum & incorporeorum, microcoſmus. Audiamus Senecam l. 6. de Benef. cap. 23. *Is ordo mundo datus eſt vt apparent curam noſtri non inter vltima habitam , non genuere nos per negligentiam quibus tam multa genuere, cogitavit enim nos ante natura, quam fecit, nec tam leve opus ſumus, vt illi potuerimus excidere, ſcias non eſſe hominem tumultuarium & incogitatum opus.* Sic & Moyſi conformia docet , qui dicit Deum deliberaſſe antequam hominem poſt om-

nes

nes creaturas mundo introduceret; *Faciamus hominem ad imaginem noſtram.* Boëthius, *Operis tanti pars non vilis Homines.* Quid hinc nunc concludimus, ex tàm certis & evidentiſsimis præmiſsis? Cui tam parva curæ ſunt magna, nunquam negliget. Qui abundat in ſuperfluis, quomodo deficiet in neceſſarijs? Auguſtinus nobiſcum ſic argumentatur l.5.de civit. Dei. cap. XI. *Qui nec exigui & contemptibilis animantis viſcera, nec auis pennulam nec herbæ floſculum, nec arboris folium ſine ſuarum partium convenientia, & quadam veluti pace dereliquit, nullo modo credendus eſt regna hominum, eorumque dominationes & ſeruitutes, à ſuæ providentiæ legibus alienus eſſe voluiſſe.* Boves curæ Deo erunt, & non erunt homines. *Numeravit capillos noſtros,* ait Tertullianus, *imo ſetas porcorum, & non numerauit provincias regum, vrbeſque terrarum?* Egregius Poëta Claudianus, ex hoc rerum ordine optime concludit, *omnia Conſilio firmata Dei.* Spititus ſanctus extenuat mala & amplificat bona. Satan ſemper contrarium facit. Plinius naturam accuſat vt novercam, & non laudat vt alumnam, declamitat de venenatis animalibus, ſerpentibus, crocodilis, ſed infinitam bonitatem vaccarum, ouium, auium, piſcium non videt.

Cælum, ſolem, ſtellas cum videmus cur non rapimur in laudes infinitæ ſapientiæ, & bonitatis. Quid eſt terra comparata cælo, niſi nævus aut parvum punctum, qui fecit tam immenſum cælum, tam lucida corpora, tam ingentia, cuius nu-

merus nemini mortalium adhuc notus, qui perpetua mundum ratione gubernat: non potuit ex impotentia, ignorantia aut malitia hanc infimam ſedem relinquere.

Quis prudens & bonus Paterfamilias curam habebit ædium, veſtium, ciborum, ſervorum, & erit negligens filiorum? Hæc minus in Deum cadere poſſunt. Qui capillos noſtros numeravit, & ſine cujus voluntate ne paſſerculus quidem in terram cadit. Ipſe Protagoras Abderita, qui Atheis annumeratur, dicere conſueverat: Si Deus non eſt, vnde igitur bona? Sed adjecit dubium, quod ſolvere non poterat, ſi autem eſt, vnde mala? Socrates cum obſcurum Heracliti locum legiſſet, ſic concludit, *Quæ intellexi proba ſunt, credo & quæ non intellexi.* Sic & nos ſi admiramur Dei providentiam in minimis, quæ ex parte intelligimus. Cur non & in maximis, licet ea non intelligamus?

At alij qui providentiam à rebus humanis excludere conantur, dicunt eventus omnes pendere ab induſtriâ, conſilijs, prudentiâ hominum, ſive etiam ab ipſorum aſtutiâ & fraudibus, ipſorum axioma: in omni re ſi ſtratagemate vtaris, non eſt quod alium Deum quæras. Leoninæ vulpina pellis aſſuenda, prout tempora exigunt. Honeſtatem vtili poſtponunt. Virtutibus, vitijs, Religione falſa aut vera, vtuntur prout viſum eſt.

Sic Græci, Lacones, Romani, & qui non fecêre? Sic & hodie mundus regitur. Sapiens Stoicorum

rum non vult eſſe ſupplex Deo, ſed ſocius, imo cum ipſo Iove vult contendere de felicitate. *Ac ne quidem virtutem Deo acceptam retulit, neque Herculi quiſpiam decumam vovit ſi ſapiens factus eſt.* Vt ait Tullius l.5.de nat.Deor.*Hi ſacra faciunt ſagenæ ſuæ & ſuffitum reti ſuo*, vt loquitur Habacuc cap.1. Sic Aſſur apud Eſaiam cap.x.13.. *In fortitudine manus meæ feci,& in ſapientia mea intellexi,& abſtuli terminos populorum, & Principes eorum deprædatus ſum, & detraxi in ſublime reſidentes.*

Princeps Tyri,Ezech.28.2.ait, *Deus ego ſum, in throno Dei ſedi in medio marium.* Pharao,Rex Egypti Ezech.29.3. *Meus eſt fluuius, & ego feci memet ipſum.*

Hi homines cum ſibi maximè ſapere videantur, vtpote propriæ prudentiæ omnia attribuentes, ſtultiſsimi tamen ſunt, vt iam ex ipſa philoſophia, & ſacris paginis manifeſtiſsime oſtendam.

Si vnquam primis labris metaphyſices & Phyſices egregia principia guſtarunt, noſſe debent nihil moveri à ſeipſo, & in omnibus actionibus ſive humanis ſive naturalibus requiri concurſum primæ cauſſæ. An nòn radij ſolis diſsipantur ſimul ác ſol horizontem ſubijt? An non ceſſat cytharæ ſonus ceſſante docta manu? an non omnes corporis facultates deficiunt abeunte anima? Vt connexio omnium cauſſarum manifeſta, ita omnes à primâ pendere quis negauit, niſi in infini-

tum procedere velit, experientiam quotidianam oppugnare, & inferre bellum Deo & omni naturæ. Quocirca Apoſtolus Actor. 17. Areopagitis ait, *In Deo vivimus, movemur & ſumus, ſicut quidam veſtratium Poetarum dixerunt.*

Si prima cauſſa, ſi tota vniverſitas, cælum & terra, omnes cauſſæ ſecundæ concurrunt ad omnes & ſingulos effectus: quam ſtulte hi omnes attribuuntur humanæ ſapientiæ. Anima noſtra ne quidem proprium corpus movet prout vult, proprius ſpiritus non eſt in poteſtate noſtrâ, & non eſt dominus ſui. Sic enim ait, filius Dei, *Quis ex vobis ſollicite cogitando, poteſt addere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum?* Cur non fabricaſti corpus majus, melius, majore fortitudine & ſanitate præditum. Cur non deutius vivis? & corpus relinquere cogeris, vbi ſupremus iudex te vocat? Vbi ergo illud dominium quod habere te ſomnias in omnes eventus per ſtultam tuam prudentiam. Quæ ne quidem novit quid ſerus veſper vehat. Dic, quid cras fiet? Sol, tonitru, fulmen, pluvia, ventus, terræ motus, diluvia, impedire poterunt omnes conatus tuos: Vnica muſca, culex aut pulex diſſipare poteſt conſilia Regum, & terror panicus maximum exercitum. Vel propter haſce cauſſas etiam ipſi Gentiles concluſere honorandos & invocandos eſſe Deos, vtpote qui omnes res naturales haberent in propriâ poteſtate, & qui futura norunt, de quibus per haruſpices ipſos conſulebant. *Prudens futuri temporis*

exitum

exitum caliginoſa nocte premit Deus. ait Horatius: Idem, *Quod quiſque vitet nunquam homini, ſatis cautum eſt in horas.* Iccirco ait Socrates, Prophetia opus habet Reſp. Et Salomon, vbi illa defecerit, diſſipatur populus.

Quod ſi ipſorum intellectus ita ſit obtenebratus vt ſubtiliores Metaphyſicorum rationes non percipiant, ſaltem Ethicas & Politicas perſuaſiones admittant. Plane malus regere alios non poteſt, quia nec ipſe per diem eſſe poteſt, malum enim ait Ariſtoteles ſeipſum perdit. Speciem ergo boni induat oportet. Nam ſi ficta Religio, divinæ legis prævaricatio, periuriũ Principi regnandi & libidinis explendæ cauſſa licita ſunt, cur non & ſubditis? cur pauperi non licebit furari, imo, quod horrendum, cur filius hæreditatis ergo non occidet Patrem? Erit res ludrica in Principe, & erit crimen in ſubdito morte piandum? perſonis tantum diſtabunt peccata? Quod ſi hæc admittantur iam nulla domus nec reſpublica per diem ſtare poterit. Non hoſpes ab hoſpite tutus, non ſocer à genero. Vt corpus nec integrum nec ſanum manere poteſt, vbi manus pedibus, oculis, alijſque partibus bellum inferunt. Audiat ergo impius & ſtultus Machiavellus aureum dictum Liviæ ad Auguſtum: *Oportet te,* inquit, *nihil facere per injuriam, ſed nec omnino facere videri. Nam privatis hominibus, ſatis eſt nihil delinquere Principibus nequidem ſuſpectis eſſe licet.* Si fidem fallere, vbique ſemper omnibus lici-

tum nec hominum commercia, nec ipſa civilis ſocietas per vnicum diem ſtare poterit, mercatura in fraudes deſinet, navigatio in pyraticam, agricolatio in diſcordias, iudicia in rapinas, militia in latrocinia, Religio in ſuperſtitionem. Hoc ſaltem iam à peſſimis extorſimus, illos debere videri bonos, alioqui brevi cum ipſis remp. peſſundari. Nihil efficacius regere multitudinem quam ſuperſtitionem falſam aut veram Religionem, omnes politici fatentur.

An non etiam fateri coguntur præſtare eſſe quam videri? an non præſtat eſſe, divitem, doctum, ſanum quam videri? an non malunt verum quam adulterinum nummum? Cur ergo malunt videri pij quam eſſe? ſi fructuoſum, hoſtibus videri fortem & inexpugnabilem, longe præſtat eſſe talem. Impietas apparens noxia, ſolida ergo erit peſtilentiſſima. Inſuper, ἄμαχον δὲ κρύψαι τὸ συγγενὲς ἦθος, ait Pindarus, *difficile eſt ſemper abſcondere pectoris æſtus*. Meretricij fuci animorum interdum deprehenduntur aut ex iracundia, aut ex iactantia, aut ex imbecillitate animi, aut ex alio quopiam affectu. Et tunc Deus, qui odit hypocritam, *contemtum effundit in Principes & zonam potentium laxat*, vt ait Iob capit. 12. Semper autem quod meruêre timent & expectant. Tuta ſcelera interdum eſſe poſſunt, ſecura nunquam. Egregiè ſane Iſocrates orat. de Pace, ad venerem gerendam, aut ad felicitatem adipiſcen-

dam

dam tanta vis non poteſt eſſe in iniuria quanta in virtute, nam qui pietatem & juſtitiam colunt perpetuo in tuto ſunt, & de reliquo ævi ſpatio ſpem habent meliorem. Quæ ſi in omnibus non ita euenire conſueverunt, at plerunque hoc modo fiunt eſt autem cordatorum hominum officium, quoniam quid profuturum ſit ſemper non perſpicimus, quod frequentius prodeſt id amplecti, quid melius & ſanctius à Chriſtiano dici poſſet? An non docet doctrina moralis & ſanctiſsimum Dei verbum omnibus hominibus ex animo in hoc præſenti ſæculo vivendum eſſe, iuste, ſobrie & pie quod ſi rerum differentias veras & ſolidas morales tollimus, & omnia ex vtilitate & ſucceſſu metienda ſtatuimus. Si non tantum Satyrice & per indignationem dicimus: Proſperum & felix ſcelus virtus vocatur. Sed vt proh dolor! multi libri politici hoc ſerio & poſitive docent: Tunc verum vero & ſcientia ſcientiæ contradicet. Et dediſcenda erunt in ſenectute ſedentibus ad clauum Reip. quæ in iuuentute optime ipſorum animis inſtillata fuerunt. Tunc non tantum ſcientia, ſed & ipſa virtus, vt aiebat Brutus erit nomen inane. Quam autem hæc ſint abſurda & horrenda quis non videt.

Omnes autem virtutes politicæ fundari debent in pietate: Recte ſane Cicero: *Pietate adverſus Deos ſublata, fides etiam & ſocietas humani generis, & una excellentiſſima virtus, iuſtitia tollatur, neceſſe eſt.*

Nam ſi Princeps ſi ſubditus nihil de divinis credunt, ſi æterni ſupplicij metus utrumque in officio non continet, quodnam erit frænum quo inhiberi poterunt? metus enim legũ, & quæ ſontibus pœnæ ſolent infligi, parum efficaces ſunt ad ſcelerum terrorem, ac impedimenta, multi enim mortem contemnunt, aut ita non timent, ut eâ cogitatione frænare cupidates in animum inducant, ſallere etiam & evadere ſe pœnas donec in vinculis ipſis ſint, poſſe ſperant. Hi non damnabunt crimina ſed tantum infœlices eventus. Hoc dicunt & ſperant,

Noctem peccatis & fraudibus objice nubem.

Hinc aſtuti Principes & Legiſlatores ſe à Dijs leges accepiſſe finxerunt & poſt hanc vitam impios puniendos ſubditorum animis impreſſum voluerunt, etſi ipſi factis oſtenderent hæc ſe figmenta politicorum credere.

Primus in orbe Deos fecit timor. ait Arbiter nequitiarum. Sed ſi timor ille fictus & præter naturam, cur non lenocinijs & blandimentis verborum, cur non ſuaviſſimâ harmoniâ muſices, vino, iocis, alijſque ſolatijs humanis tolli poteſt. Cur vexat eos qui nec inferiores metuunt, nec conſcios teſtes habent, nec ſuperiores vllos habere poſſunt, vt Monarchas huius mundi ſi facile credimus quod volumus, & ſi verum eſt nihil ſupereſſe poſt hanc vitam, cur illud perſuaderi non poteſt ijs qui hoc ſummopere vellent?

Sed

Sed veriſſimum eſſe, ſcelus eſſe ſemper timidum, & neminem abſolvi poſſe à ſemetipſo poſt commiſſa flagitia, oſtendunt innumera exempla Principum.

Tiberius callidiſsimus Principum, maximus ſimulator, non fortuna, non ſolitudine tegi poteſt, ipſe tormenta pectoris ſuaſque pœnas fatetur. Tales ſunt Tyrannorum mentes, quæ dilacerantur perpetuis flagellis, & ictibus. Vide Tacitum & Suetonium in vitis Imperatorum. *Poteſt obumbrari conſcientia*, inquit Tertullianus, *quia non eſt Deus, exſtingui non poteſt, quia à Deo eſt*. Optime ergo illi de genere humano & regimine politico merentur, qui ſcientes ipſi timorem Domini, alijs eum inculcant. Vt loquitur Apoſtolus 2. ad Cor. cap. 5. qui docent omnes poteſtates eſſe à Deo. Subditos nos illis eſſe debere non tantum propter iram ſed & propter conſcientiam. Rom. x i. 1 i. facile enim eſt imperium in bonis, vt ait Plautus vel propter hanc rationem qui ſacra adminiſtrant & præcipue Chriſtiana in honore haberi debent à viris Principibus. Nam ſi ipſi eos contemnunt, & populus vt plurimum fit, ſeſe componat ad illorum exemplum, iam cum Religione peſſum ibit Reſp. Quocirca ne tolerari quidem debet ob cauſſas mere civiles in bene conſtituta civitate impia Photinianorum ſecta, quæ in hiſce regionibus radices agit & pullulat; quia docet animas impiorum emori vna cum corpore, & hanc eſſe mortem æternam

de

de qua toties Scriptura loquitur. Ita ſentiunt Socinus, Smaicius, alijque nomine tenus Chriſtiani. An non acta colloquij Racovienſis, inquiunt: Aliquem in inferno eſſe & ibi torqueri, in ſinu Abrahæ decumbere ſunt plane fictitia & ſimilia illis, quæ Poëtæ de Ixione, Siſypho, Tantalo ſcribunt. Hæc ſunt horrenda.

Mirum hujuſcemodi profana quæ humana & divina funditus evertunt excudi & vendi in civitate quæ in regendis hominibus, ſeſe prudentiſſimam in hiſce regionibus æſtimat.

Iam vt eò redeat, vnde abierat noſtra oratio, multa dicta etiam Poëtarum hoc fatentur, non pendere eventus à noſtra prudentia. Theognis. *Nullus hominum certus eſt num finis bonus vel malus ſit futurus. Sæpius enim qui male videtur agere, bonum adipiſcitur, qui vero bene, malum aſſequitur.*

Proſperum & felix ſcelus virtus vocatur.

Careat ſucceſſibus opto. Quiſquis ab eventu facta probanda putet.

Hinc toties conqueruntur de fortunæ cæcitate. Illam inſanam & cœcam & brutam vocat apud Ciceronem Pacuvius. Evertit aiunt bonos, erigit improbos immeritos auget honoribus, innocuos cladibus afficit, juſtos pauperie premit, indignos eadem divitijs beat, aufert iuvenes, retinet ſenes, & ſimilia innumera apud profanos ſcriptores reperire eſt.

Sed præſtat audire divinam vocem. Quæ non agnoſcit

agnoſcit fortunam. Sed ſemper nos ducit ad primam cauſſam, cujus reſpectu nullus eſt caſus. Iob cap. 5. x1. *Deus ponit humiles in ſublime diſſipat conſilia malignorum apprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & conſilium pravorum diſſipat.* Similis locus Pſal. 33. Eſai. 44. 25. *Irrita faciens ſigna divinorum, & ariolos in furorem vertens convertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorum ſtultam faciens.* Salomon Eccl. 9. *Converti me & vidi ſub ſole, curſum non eſſe velocium nec fortium bellum, nec ſapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam.* Experientia omnium ſæculorum teſtatur, Deum erigere tenuem è pulvere & ſtercore, vt eum collocet cum principe, & ſuperbos deijcere de throno. 1. Sam. 2. Pſal. 113. Dan. 2. Luc. 1. Hoc etiam Chilo Lacedæmonius faſſus eſt Deos quotidie in cælum facere.

Sed quare hoc faciat non omnes ſciunt, nec etiam ſcire oportet. Voluntas Dei eſt cauſſa cauſſarum, quæ ſi non reveletur ab ipſo Deo, eſt abyſſo obſcurior, & profundior, Res humanas inconſtantes & varietati obnoxias reddit ſummus Rector, vt virtutem & ſapientiam magnifaceremus, & honeſtum bonum noſtrum putaremus. Quâ de re eleganter Seneca Epiſt. 78. & 87. Deinde vt hominis animum adverſus ea quæ cadere poſſunt, patientia & conſtantia confirmaret. Vide eundem Senecam Epiſt. 91. & 98. marcet virtus ſine adverſario.

Guicciardinus l. 1. *E certamente coſa veriſſima, che non*

non ſempre li huo mini ſauij diſcernono ò giudicano perfettamente, biſogna che ſpeſſo ſi dimoſtrino ſegni della debolerra dell intelletto humano. Egregia ratio ad humiliandum ſuperbum hoc animal, quod ſe mundum regere propria prudentia poſſe putat.

An non eſt varius eventus belli? nunc hunc nunc illum conſumit gladius, inquit David 2. Sam. cap. XI. dubia eſt alea belli. Idem tamen Rex cum per ſanctiorem Spiritum loquitur, ait Pſal. 33. *Rex non ſervatur, eo quod multum habuerit exercitum,* & eius filius Salomon Prov. XXI. *Equus inſtruitur ad diem belli, à Domino autem datur ſalus.* Hoc confœderatæ hæ Regiones experientia longiſsima edoctæ, norunt ſine ſcriptura hoc eſſe veriſsimum.

Concilium Tridentinum, vt omnia alia omittamus, quem eventum habuit. Talemne qualem Rectores Politici & Eccleſiaſtici deſiderabant. Nullo modo, ſed audi quid dicat iudicioſiſsimus Paulus ſervita. Qui nobis ſuper hoc conventu fideliſsimam hiſtoriam conſcripſit: Queſta convocatione Eccleſiaſtica ſempre celebrata convarij fini, ha ſortita forma & compimento tutto contrario al diſſegno di chi l'ha procurata, chiaro documento di reſignare li penſieri in Dio, & non fidarſi della prudenza humana.

Hactenus, vt arbitror, ſatis feliciter pro æterni numinis providentia, militavimus. Reſtat, vt plenius & planius dubio ab initio propoſito, ſatisfaciã.

Dico

Dico ergo audacter, expertiſsime Beverovici, Bonis nunquam male eſſe & malis nunquam bene nec in hâc nec in futurâ vita. Imo eſſe in hac propoſitione, oppoſitum in appoſito vt loquuntur in ſcholis, pugnare ſecum hoc effatum. Quod vt manifeſtum fiat, audi quæſo, noſtra argumenta. Videndum primo qui ſint illi boni, de quibus tantopere homines conqueruntur. Quales fuerint Græci, ne Socrate quidem excepto, quales optimi Romanorum, quis melius novit, quam ille qui corda novit, qui linguam & calamum rexit Doctoris gentium, qui hac de re legendus cap. 1. ad Rom. Vbi videre licet, ſapientiſſimos & optimos fuiſſe ſtultos & malos in oculis Domini, vnde omnis pœna procedit. Recte Bernardus Epiſt. 109. *Abailardus dum ſudat Platonem facere Chriſtianum ſe probat Ethnicum.* Finibus & intentionibus iudicantur actiones, vt docet moralis Philoſophia. Virtutes autem niſi ad Deum referantur non ſunt virtutes. Hinc Theologorum regula: Bona opera non nominibus, ſed adverbijs ſunt iudicanda, & adverbia ſalvant vel damnant. Quis Romanos innocentes dicet, ſi eos quotidie arenæ ſpectaculis aſſidentes iubere mortes ſontium & inſontium conſideret? vre, verbera, ſeca, occide, erant verba ſolennia & totius caveæ. An tyranni vnquam ad ipſorum tutelam tot occidere, quam illi ad luſum & voluptatem? quomodo tales erunt iuſti coram Deo, qui ne ab hominibus quidem abſolvi

abſolvi poſſunt? & crudeliſſimi ſunt, qui ludendo tales ſunt.

Alter intellectus noſtri error, quod pauci poſſint dignoſcere vera bona. Vera bona ſunt pietas & virtus. Mala vera, impietas & vitium. Divitiæ, robur, potentia, pulchritudo, ſunt ἀδιάφορα. & prout eſt animus qui ea poſſidet & hiſce vtitur. Prout ſcis languentem Stomachum ſaluberrimos cibos convertere in humores peccantes: ſanum vero quoſvis in optimum chylum. Sic ait Paulus 8. ad Rom. *Diligentibus Deum omnia* (adverſa & proſpera ſc.) *cooperari in bonum.* & ad Tit. cap. 1. *omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt ipſorum & mens & conſcientia.*

Quæ ſunt bona quæ malis evenire putamus, ad hæc tria referuntur, ſecundum Ioh. 1. Epiſt. cap. 2. ad concupiſcentiam carnis, ad concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ. Hæ ſunt tres divæ, vel Trinitas mundana: Venus, Iuno & Minerva.

Voluptatem ex cibo & potu capere non eſt propriè voluptas. Sed remedium doloris, qui oritur ex fame quæ eſt condimentum optimum cibi. Qua Epicurus etiam exſpectari jubet. Si nimius cibus ventriculo ingeratur hinc oritur alter dolor ex ἀπεψία, cruditate, inſomnijs, morbiſque infinitis. Tunc ille miſer Stomachi nauſeantis pigritiam excitare nititur exoticis condituris, vt nova voluptate

ptate dapes nocituras accumulet. Senec. Epiſt.95. *An felices illi ganeones, qui emerunt delicias, quas Ceſar vendidit? An miſer vir bonus, ſi emere non poſsit, quod Ceſar non concupivit? Dulcis eſt ſomnus operanti, ſive parum, ſive multum comedat. Saturitas autem divitis non ſinit illum dormire.* Eccl.v.11. *Somnus agreſtium lenis virorum*, ait Horat. Dij omnia vendunt laboribus, non auro nec argento. Cum ſitit Darius, & Ptolomæus eſurit tunc ſentiunt majorem voluptatem quam in maximâ abundantiâ. Si ergo divites ſinceras voluptates ex cibo, potu & ſomno capere volunt, debent laborare, eſurire & ſitire vt pauperes. Nam vt ait Salvator noſter ex abundantia nemo (nec diu nec jucunde ſc.) vivit. Quod damnum non adfert corpori & animo immoderata & illicita Venus? propriam ſubſtantiam conſumit, corpus languidum efficit, & mentem aufert. *Inveni mulierem amariorem morte, quæ laqueus venatorum eſt, & ſagena cor ejus, vincula ſunt manus illius.* Eccl.7.27.

Ad concupiſcentiam oculorum referuntur divitiæ, quibus ſæpe abundant peſsimi. Sed etiam hic ignorantiam noſtram oſtendimus. Quod veras divitias non novimus. Cui cum paupertate convenit is dives eſt. Is minimo eget qui minimum cupit. Quis dives? qui nil cupiat, quis pauper? avarus, multa petentibus, deſunt multa. Bene eſt, cui Deus obtulit parca quod ſatis eſt manu. Pauper tibi videris ſi non abundas in omnibus. Sed audiamus ſi non admittimus ſcripturas, Prophetas, Gentilium,

id

id eſt Poëtas. *Gemmas & lapides, aurum & inutile, ſummi materiem mali, mittamus,* inquit Horatius. *Sunt qui non habeant, eſt qui non curat habere. Vivitur paruo bene, Vivitur exiguo melius,* ait Claudianus. *Fuge magna, licet ſub paupere tecto Reges & regum vita præcurrere amicos, neque divitibus contingunt gaudia ſolis. Divitiæ grandes homini ſunt viuere parce, æquo animo, neque enim eſt vnquam penuria parui.* ait Lucret. l. 5. *Sollicito bibant auro ſuperbi.* Seneca. Huiuſcemodi ſententiæ innumeræ reperiuntur, quas veriſſimas eſſe experientia quotidiana oſtendit. Falſum ergo malis contingere bona, cum divitias poſsident, quibus vti neſciunt.

Tertium erat, ſuperbia oculorum; impij regnant, & *imperium res inter Deos hominesque pulcherrima,* ait Livius, non ita Seneca in Theb. *Regnabit, hæc eſt pœna. Regnare non vult eſſe qui invisus timet, ſimul iſta mundi conditor poſuit Deus odium & regnum.* Alios regere eſt perpetua afflictio. Mendicant honorem ab alijs, cum propriam conſiderant ignorantiam, infirmitatem & malitiam, conſcientia propria eos indigniſsimos iudicat. Vnde oderunt ſapientes qui defectus ipſorum vident & reprehendunt. Timent ſemper næ regnum amittant. In omnibus actionibus habent mille teſtes, mille judices, calumniantes, obmurmurantes, placere & benefacere paucisſimis poſſunt, diſplicere & malefacere plurimis, mortem ſemper metuunt & quod Deo ſint reddituri rationem in vltimo judicio.

cio. Quod ſi forte non credunt dum bene valent, eos tanget hęc cogitatio vbi ægrotaverint & morti appropinquabunt, vt ait Plato. Videant hæc impij, ſtat ratio contra & ſecretam gannit in aurem. Iam quid prodeſt homini cum moritur gloria huius mundi?

Stulte, ait Chryſoſtomus, quid te juvat, ſi vbi non es, laudaris, & vbi es, torqueris? Sed quod bonum poteſt habere impius ſi torquetur à propriâ conſcientiâ. *Prima eſt hæc vltio quod ſe iudice nemo nocens abſoluitur*, vt ait Iuvenalis. *Pœna preſens conſciæ mentis pavor, animuſque culpa plenus & ſemet timens.* Seneca in Hipp. *Dat pœnas quiſquis expectat, quiſquis autem meruit, expectat*, Seneca in Epiſt. 105. *Iuſſiſti domine & vere ſic eſt, vt pœna ſit omnibus inordinatus animus.* ait S. Auguſtinus. Et hoc oſtendit de Dionyſio Tyranno Cicero in Tuſc.q. *in ſcelere ſceleris ſupplicium*, ait Seneca. Pœna ſceleri coætanea, ait Heſiodus. Quantum ante patratum malum, quantum in patrando, quantum poſt patratum malum, remordente conſcientia, mali paſſi ſint, quis deſcribere poteſt? quos pavores, quas febres ſentiunt, qui adulterium, qui furta moliuntur, qui venena miſcent, quocirca veriſſimum illud dictum Publij: *Quod illo nocens ſe damnat, quo peccat, die.* Auguſtinus in Pſal. 91. *An ille non patitur malum, qui patitur ſeipſum? an illi bene eſt, qui malam habet animam?*

Bonis autem, ſi revera tales ſint ſecundum Dei

judicium,quomodo mala evenire poſſunt? Nemo aliorum ſenſu miſer eſt, ſed ſuo. Quemadmodum non eſt beatus eſſe qui ſe non putat. *Non poſſunt cuiuſquam falſo iudicio eſſe miſeri,qui ſunt vere conſcientia ſua beati.* ait Salvianus l.1.de Provid. Dei. Impij affluentes omnibus bonis hujus mundi, non ſicut tranquilli,nam illis nulla pax. Sed,*in malis ſperare bonum,niſi innocens, nemo poteſt*, ait Publius. *Superfluum eſt, vt eos quiſpiam vel infirmitate, vel paupertate, vel alijs eiuſmodi rebus exiſtimet eſſe miſeros, quibus ſe illi confidunt eſſe felices.* ait idem Salvianus. Ariſtoteles putabat ſufficere ad fortitudinem, ſi vir ſapiens non contriſtetur in adverſis.Sed Chriſtianus gaudet in tribulationibus. Tale gaudium mundus non poteſt dare,nulla alia Religio,præter noſtram hoc poteſt hoc eſt illud ænigma Samſonis, quod mundus non poteſt capere,quomodo nimirum de comedente exeat cibus, & de forti egrediatur dulcedo.Iud.14. Illud gaudium eſt quidem in initio converſionis,vbi anima quaſi è carcere egreſſa,incipit luce & libertate frui, (nam qui peccatum facit ſervus eſt peccati Ioh. 8.) Sed poſtquam diu multumque pugnavit & ſuperavit carnem, mundum,diabolum,tunc fruitur ſummo illo gaudio, de quo loquitur Iacobus cap.1. & iccirco ait nos debere expetere tribulationes varias. Nunc autem enumerare fructus afflictionum,longum nimis foret,& excederem Epiſtolæ modum. Poëtæ Philoſophi, Patres, S. Scriptura hos tam abunde & eleganter

ganter deſcripſerunt, vt ipſorum dicta repetere, ſit actum agere.

Concludamus cum Auguſtino, in Pſal. 25. *Torqueris, quia hic mali florent, qui à diabolo poſtea torquebuntur. Illis quod temporaliter datur cito tollitur, tibi quod promittitur manebit in æternum. Cum valde occulta ſint iudicia divina, cur in hac vita nonnunquam bonis ſit male, & malis bene: tunc occultiora ſunt, cum & bonis hic bene eſt, & malis male, tunc enim de futura remuneratione & pœna dubitari poſſet, ſi in hac vita omnes acciperent mercedem.*

Lux ergo Evangelij diſsipat clariſsimè omnes haſce nebulas, docens ſine vmbris poſt hanc vitam ſupereſſe & expectare nos pręmia aut æternas pœnas. Hoc vidit Aſaph Pſal. 73. cum intraſſet in ſanctuario Domini, & vidit nouiſsima impiorum, noluit Deus auro in hoc mundo remunerare juſtitiam. Alia pręparavit ipſum amantibus, quæ non vidimus, nec audivimus, & ne cogitando quidem poſſumus aſſequi κληρονομίαν ἄφθαρτον καὶ ἀμίαντον καὶ ἀμάραντον τετηρημένην ἐν οὐρανοῖς. ait Petrus Epiſt. 1. cap. 1.

Hanc hæreditatem omnes filij Dei firmiſsima ſpê expectant, propter hanc omnes mundi delicias contemnunt, & mundi tormenta floccipendent. In cælo demum intelligemus, ordinem ſæculorum viciſsitudines rerum, cur Deus permiſerit Angelorum & hominum lapſum cur ex hominibus elegerit, alios non, cur juſti in hoc mundo preſſu-

ram paſsi ſint, tunc omnia arcana revelabuntur, tunc voluntas noſtra, & intellectus iudicijs divinis tranquilliſsime acquieſcunt.

Atque hic deſino, & tibi εὐπραγεῖν ϰαὶ χαίρειν ex animo voveo. Dordraci 8. Dec. 1643.

M. GERARDO IOH. VOSSIO,

Hiſtoriarum Profeſſori, Præceptori æternum colendo,

IOH. BEVEROVICIUS. S. D.

CEleberrime Vir, Toties ob maxima & perpetua in me beneficia tua gratiæ tibi agendæ ſunt, ut iterum pro inſigni munere, quo me poſtremum condecorare dignatus es, tam vili munere orationis defungi pudeat. Eius lectio & doctiorem me, & meliorem reddidit. Originem enim Deorum oſtendit, & verum ac ſempiternum ex Naturæ admirandis. Volupe fuiſſet & explanatum ibi locum è S. Scriptura de Samuele, notatum quidem, ſed nihil ad eum annotatum à Delrio in Diſquiſitionibus Magicis. Num ſcilicet verus Samuel fuerit, quem à morte colloquutum legimus cum rege Saulo. Abſurdæ enim impietatis videtur, tantum tribuere diabolo, ut, pro libidine impiorum, quietas piorum animas è beatorum ſedibus movere, & magicis pythoniſſarum artibus

artibus excire valeat. Novi variantes in hoc dubio variorum ſententias: ſed quænam amplectenda, penitus me ignorare fateor ingenue. Te, Doctor πολυμαθέστατε, ut & hic me docere, & porro, ut à pueritia mea feciſti, amare pergas, etiam atque etiam rogo. Vale cum tuis fœliciter. Dordrechti prid. Eid. Decembr. CIↃ. IↃ. CXLIII.

IOHANNI BEVEROVICIO,

Senatori, ac Medico Reip. Dordrechtanæ eximio,

GERARDUS IOANNES VOSSIUS,

S. P. D.

IAm ab antiquis ea temporibus multum agitata quæſtio fuit, ampliſſime, & amiciſſime BEVEROVICI, veruſne fuerit Samuel, quem à morte collocutum legimus cum Rege Saulo. Qui falſum cenſent, alij quidem fuiſſe putant, impoſtorem quempiam, qui bellè ſatis hanc hiſtrioniam exerceret: alij verò arbitrantur, ſpectrum fuiſſe diabolicum. Prior opinio placuit Rabbi Salomoni Ben-Cophni: qui contendit, nebulonem delituiſſe ſub terris; à quo iuxta ac muliere Pythoniſſa, omnis hæc adornaretur ſcena. Atque in hanc etiam opinionem dilapſus fuit Reginalbus Scotus; qui & ipſe id neceſſe habuit dicere, cùm omnem negarit νεκυομαντείαν, meramque hominum eſ-

ſe impoſturam iudicârit. Sed ea ſententia è diametro Scripturis repugnat: præcipuè verbis Moſaicis Deuteron.XVIII.XI. vbi diſertim prohibentur, qui mortuos conſulerent. Præterea tota huic opinioni adverſatur hiſtoria, quæ eſt I. Samuel XXVIII. Quod vt planius fiat, eam paullùm diducam. Repurgârat Iſraëlem Saul à necyomantis: quod ab eo Samuelis, vel Abimelechi monitu, actum fuiſſe, per eſt veriſimile. Sed quis ignorat, non omnia ad præfectorum aures pertingere: ſubinde etiam ab ijs in edictis regijs conniveri? Saul igitur, non ignarus edicti ſui, nihilominus inquiri necyomanten juſſit. Cognoſcit de femina in Endor, civitate in ſorte Iſachar, ſed à Manaſſe poſſeſsâ. Minùs mirandum de muliere hac relicta; quando ſexus ille latere ſolet domi: & ab Hieronymo, aliove, in Traditionibus Hebraicis proditum eſt, fabulari Hebræos, eo parcitum fuiſſe huic mulieri, quòd mater foret Abneris, qui ex cognatione eſſet Saulis. Noctu igitur ad mulierem itum, atque ab ea poſtulatum, vt Samuelem ſuſcitaret. Ex qua petitione conſtat, *τοὺς ἑβδομήκοντα* ſatis *ἀκύρως* hanc mulierem vocare *ἐγγαστρίμυθον*, ſive *ventriloquam*: cum ea fuerit in necyomantis. In Hebræo eſt DOMINA OB, ſive OPH: à quo eſt Græcum ὄφις, ac fortaſſe φοῖβος. Nam antiquus draco coli gaudebat in eo animante, quo primis parentibus illuſit. Vnde & Pythoni nomen à PETHEN, quod ſerpentem ſignificat. Poſt pauca
vtrim-

Digitized by Google

vtrimque verba, accinxit ſe mulier ad parendum. Rogata à Saule, quid videret, reſpondit, ELOHIM, h. e. Divum, ſive Iudicem quempiam. Nam Hebræa vox in plurativo numero etiam perſonæ ſingulæ ſignificationem habet. Cùm pleniùs Saul edoceri vellet, addidit de illius Divi, ſive Iudicis ætate, ac habitu; eſſe ſenem grandævum, & ſacerdotali pallio amictum: modò Samuel ſacerdos fuit, vt veterum aliqui tradiderunt: vel potiùs pallio Iudicis; quando Samuel non fuit ex genere Aaron, ſed conſobrini eius Core, vnde fiebant non ſacerdotes, ſed Levitæ: vt quod eum ſacrificâſſe legimus I. Samuel XVI.2. id planè fuerit extraordinarium; ſicuti & cùm idem ab Elia factum ſcribitur I. ſive III. Reg. cap. XVII. Vbi verò hæc audivit Saul, ex Pythoniſſa, plenè eſt edoctus, eſſe Samuelem; eoque honorem illi habuit, non divinum quidem, ſed convenientem prophetæ, & quidem ad meliores iam ſedes tranſlato. Hæc qui attenderit mecum, facilè videbit, quàm putidum ſit putare, per Samuelem, hîc intelligi oportere nebulonem ſub terra deliteſcentem, qui illuſerit ſimplicitati Regis. Scilicet is Rex, nec in pueritia, nec poſtea, ne quidem ad regnum evectus, imò ne tum quidem, cùm monitu prophetico, vel ſacerdotali, iuxta Moſis mandatum ex terra Iſraëlitica exſcinderet, quicquid necyomantarum reperiret; cognitum habuit, quid eſſet mortuos conſulere; temeréque putabat, ſpiritum exciri, cùm to-

um negotium perficeretur,hiſtrioniâ alicuius impoſtoris. Sin ſcivit hoc ipſum, quid ſtultius, quàm deſerto exercitu, mutato ſchemate, cum duobus ſolùm comitibus, de nocte tantum itineris emetiri, vt de ſua, ſuorumque, ac regni totius ſalute, eum conſuleret,quem non ignoraret,nihil eorum facere quæ promittetet; ſed totum eſſe è fraudibus, & nequitijs, conſutum? Num etiam homini huiuſcemodi honorem,tanquam prophetæ,humanis iam exempto, exhibuiſſet? Num vſque adeò fidem habuiſſet, vt audito eo incideret in animi deliquium, ac vix adigi poſſet ad cibum capiendum? Nunc in hoc etiam cogitationem intendamus, quòd nullius mortalis tanta eſt ingenij ſollertia,vt accuratè adeò poſſet prædicere,cùm vniversè de imminente exercitus clade; tum particulatim de cæde Saulis,triumque filiorum. Quam ad rem revelatione divinâ vel ſaltem alicuius ſpiritus, omnino opus fuit. Nec interim defugiam memorare, quid pro ſe adferant qui meram fuiſſe hominum fraudem arbitrantur. Aiunt,iſtoc colligi vel ex eo poſſe, quòd Pythoniſſa fingat ſe Saulem non noviſſe: nec enim credibile videri, fuiſſe hominem in Iſraële, qui haud noſſet Regem; præſertim qui Iſraëlitas cunctos excederet ſtaturâ. Verùm obſervari animo debet,habitâſſe eam mulierculam in Endor, regem in Giboa; qui locus xx.& amplius horarum ſpatio, diſtaret ab Endor: vt in femina non ſit mirandum, ſi nunquam viderit

rit Regem. Et potuit, cum Saul ad regnum evehe-retur, fuiſſe grandæva, ac parùm ſollicita de regis facie, imò publicis cunctis; dum eſſet, quo ipſa rumen expleret. Sed enim viderit aliquando Regem: num propterea, alto adeò animo inſederint vultus lineamenta, vt non alium crederet, qui (partim ne exercitui de Regis abſentia conſtaret, partim etiam, ne ſi à muliere agnoſceretur, ea detrectaret morem gerere Regi, à quo *νεκυομαντείαν* ſciret gravi ſub pœna interdictam) habitum ſolitum, in minimè Regium commutaſſet, ac prætereà cum duobus ſolùm comitibus, noctu adveniret, eo quidem tempore, quo nemo propter prœlium poſtridie futurum, Regem caſtris, in locum adeò diſſitum exceſſurum putâſſet? At inquiunt, vnde igitur poſtmodo didicit, ipſum eſſe Regem? Nec enim veriſimile eſt, eiuſce rei indicium illi factum à Regijs comitibus. Non hoc dixero: ſed promam quid ſentiant Hebræi. Aiunt, eos, qui in *νεκυομαντείᾳ* ſuſcitantur, inversâ corporis figura ſolitos adſcendere: at Samuelem apparuiſſe recta: hoc cùm ſciret non ſuæ virtuti deberi, ſed divinæ; ſic colle-giſſe, haud alium eſſe, quàm Regem, quem Deus tanto honore dignaretur. Alia etiam adferunt, quæ idem firment. Mihi ſat eſt, quòd diſparem rerum faciem videret, inter apparitiones ſolitas, & præſentem: præſertim ſi verus Samuel fuit, de quo deſpiciam poſtea, cum oſtendam, verum Samuelem vi magica ſuſcitari minimè potuiſſe. Largum

gum enim diſcrimen inter larvatum dæmonem, & verum Samuelem quem ſiſteret Deus. Et dum iſta geruntur, potuit mulier ſecum cogitare, nullius æquè intereſſe, vt Samuelem conſuleret, quàm Regis, & olim illi familiaris, & tam difficili tempore conſilio imprimis eius indigentis. Et ſi viderat eum antea, credibile eſt, magis & magis attendere cœpiſſe ad ſtaturam, ac vultum Regis, vtcumque habitum mutâſſet. Quibus mens eſt longè alia, non poſſunt in animum inducere, vlla eſſe ſpiritibus commercia cum homine. Ac ſæpius mihi cum talibus ſermo fuit. Sed deprehendi eos, vel admodum negligenter legiſſe Sacras litteras, vel, vtcumque diſſimularent, ſcripturarum auctoritatem parvi facere. Toto animo tales abominor: nec tamen continuò id aperio; ſed hoc ago, vt leniter, & leviter eos caſtigem: imò interdum, ſi vna menſæ aſſideamus, manum arripiam; cyathum item, quo propinem; & addo, hoc à me fieri; quo à ſermone lutulento os purgent. Tum amicè iubeo, vt vel in præſentia, vel ſeorſum poſtea, ne graventur adferre, quæ eos moveant, vt in dubium vocent, quæ Scripturis continentur. Eorum argumentis non iracundè occurrere ſoleo; ſed penè quaſi mihi cum parente, aut fratre negotium eſſet. Longum foret omnem hiſtoriam hanc pertexere. De ijs ergo potiùs loquar quibus ſacroſancta eſt Scripturarum fides. Quid hi dicent de Magis Pharaonis? num tanta exiſtimant ab ijs patrari potuiſſe, abſque

abſque ope ſpirituum? Et cùm Actorum XVI. 17. 18. legimus de ancilla habente ſpiritum Pythonis: Paulum verò ex ea ſpiritum, per quem ſolita eſſet divinare, verbo eieciſſe; nempe ne cum ſpiritu Ieſum prædicante colludere videretur: ſolumne hominum fuiſſe impoſturam, nec vllas Satanæ artes concurriſſe, exiſtimandum? Mitto ex ſcripturis tot alia. Ad illud venio, quod omnium gentium, temporumque hiſtoria evincit, hominum, & maligni ſpiritus commercia, eaque multiplicia. Scio, innumera vulgò referri, vel fabuloſa prorſus, vel ſolùm profecta à fraude humana. Sed enim à viris etiam, tum doctis, tum perſpicacibus, tum gravibus, ac probis, & plurimis retro ſeculis allata ſunt, & hodie memorantur innumera, vbi non poſsit non cum opera humana concurriſſe illuſio, aut vis diabolica: ſupplente videlicet ſpiritu maligno, quod hominis exſuperet poteſtatem.

Atque hactenus ſatis mihi videor comprobaſſe, non conſtitiſſe hoc negotium merâ hominis impoſturâ. Quare ſi, qui ſe Sauli ſtitit, homo impoſtor non fuit; nec verus tamen Samuel erat: exiſtimandum, fuiſſe ſpiritum malum, qui induerit Samuelis perſonam. Atque hæc opinio eſt Tertulliani lib. de Anima cap. LVII. Verba apponam: *Ecce hodie Simonis hæreticos tanta præſumptio artis extollit, vt etiam prophetarum animas ab inferis movere ſe ſpondeant. Et credo, quia mendacio poſſunt: nec enim Pythonico tunc ſpiritui minùs licuit animam Samuelis effingere,*

effingere, poſt Deum mortuos conſulente Saule. Abſit alioquin, vt animam cuiuſlibet Sancti, nedum prophetæ, à dæmonio credamus extractam, edocti quòd ipſe Satanas transfiguretur in Angelum lucis, nedum in hominem lucis. Eadem eſt ſententia eruditi ſcriptoris Quæſtionum, & Reſponſionum ad Orthodoxos, quem inter Iuſtini Martyris ſcripta habemus, Reſponſione LII. vbi ait, hoc factum, κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ δαίμονος, τοῦ τὰς ὄψεις φαντάσαντος τῶν ὁρώντων τὸν οὐκ ὄντα Σαμουήλ. *Efficacia dæmonis, ſic oculis illudentis, vt videre ſe putarent Samuelem, cùm Samuel non foret.* Etiam B. Auguſtinus, quanquam fluctuare in hac controverſia videatur, magis tamen eodem inclinat, ad Simplicianum lib. II. cap. III. vbi cùm priùs dixiſſet, non eſſe abſurdum, ſi credamus, Samuelem ipſum non magicâ potentiâ, ſed diſpenſatione divinâ, volentem ſe ſtitiſſe Regi, vt divina eum ſententia percuteret: poſtea hæc verba ſubiungit: *Quamquam in hoc facto poteſt eſſe alius facilior intellectus, & expeditior exitus, vt non verè ſpiritum Samuelis excitatum à requie ſua credamus: ſed aliquod phantaſma, & imaginariam illuſionem diaboli machinationibus factam; quam propterea Scriptura nomine Samuelis appellat, quia ſolent imagines rerum earum nominibus appellari, quarum imagines ſunt.*

Interea non pauci Patrum duarum opinionum, quas ex Auguſtino adduximus, priorem amplecti malunt, verumque fuiſſe Samuelem cenſent, qui cum

cum Saule collocutus. Operæ verò eſt cognoſcere, quid hi potiſſimum pro ſe adferant: tum autem quomodo ijs occurrant, quibus poſterior Auguſtini ſententia magis placet. Vt igitur verum fuiſſe Samuelem probent, aiunt, ubi hiſtoria hæc refertur, non aliter quàm Samuelem, & ſexies quidem, nominari. Contrà alij, etiam diabolum à Moſe nuncupari ſerpentem, ſive quia in ſerpente deliteſceret, ſive quia ſerpens videretur. Præterea aiunt priores, non potuiſſe diabolum accuratè adeò prædicere, tum exercitus ſtragem, tum necem Saulis, triumque filiorum. Reſpondent alij, non uſque adeò operoſum fuiſſe diabolo, iſta colligere, partim ex electione Davidis, partim ex eo, quod nôſſet, quomodo uterque exercitus foret animatus; quomodo item decretum eſſet inſtruere aciem: unde etiam potuerit præſcire, re malè geſta, Saulo, aut filijs, non fore fugæ locum. Et quid ſi, inquiunt, diabolus iſta iuſſus ſit effari? Quomodo Bileamus Deo in ore poſuit, quæ diceret. Tertio etiam argumento à prioribus pugnatur. Nempe iſto, quod Deus à Samuele hoc quinquies nominetur vocabulo tetragrammato; quod, ut aiunt, diabolus ſemper exhorreſcit. Alij hæc exigui eſſe ponderis contendunt, quia in hiſtoria Achabi, quæ eſt primo, ſive tertio Regum, cap. XXII. XXI. pariter uſurpetur nomen hoc τετραγράμματον, tum à pſeudoprophetis, quibus ſe inſinuârat ſpiritus mendax, tum à Zedekia, propheta

pheta vero. Hactenus rationibus pugnatum, & ijs quidem ex libris Samuelis. Præterea verò priores ſe tuentur auctoritate Sirachidæ XVI. XXV. ubi Samuelem legimus etiam à morte prophetaſſe, ut abunde conſtet, non alium crediddiſſe, quam qui, dum viveret, propheticum habuerit ſpiritum. Nec levi hoc telum amictu exire licet, quibus Sirachides in Canone eſt Scripturarum: contrà quàm ab Hebræis factum. Quique divinam eius auctoritatem negant, eo ſe defendunt, quòd Samuel iſte ſit mentitus, nec id prophetæ conveniat, præſertim à morte. Mendacium inde adſtruunt, quòd Sauli dicat, *Cras mecum eris, & filij tui*. Quippe, inquiunt, Samueli ſuus iam locus erat attributus inter animas beatas: Saulo verò quis alius, quàm inter eos, quos pœnæ manerent æternæ? Contrà alijs placet, verba iſta Samuelis (ut Auguſtinus ad Simplicianum ſcribit) *non ad æqualitatem felicitatis, ſed ad parem conditionem mortis referri*. Quomodo, cum ait, *Mecum eris*, non aliud, quàm mortem prænunciarit. Et firmat hanc ſententiam, quod non de uno Saule ſermo ſit; ſed etiam de filijs. Atqui Ionathas vir optimus fuit, Samueli, poſt mortem, aggregandus; utcumque hic aqua hæſerit Bernardo. Sed de iſto audiendus potius Rabanus Maurus, ac tot alij, Bernardo ea parte magis perſpicaces. Sic igitur ſtatuimus, verbis iſtis mortuos generatim opponi vivis: non verò particulatim ſignari locum ſeparatum, quo ſolæ degant

gant piorum animæ. Vt ſententia ſit, Saulum, & filios, certe morituros, foreque ἐν ᾅδῃ, h. e. in ſtatu ac conditione defunctorum. Quid, quòd ne iſtud quidem controverſia penitùs caret, an Saul in numerum reproborum ſit referendus; de quo mox pluribus loquar.

Cæterum qui verum fuiſſe Samuelem opinantur, in hoc tamen diſcrepant, quòd nonnulli velint, Samuelis animam vi magica excitatam: alij verò arbitrentur, Deum ipſum Sauli ſtitiſſe Samuelem. Prior eſt opinio Iuſtini Martyris dialogo cum Tryphone Iudæo; ubi animas à morte ſuperſtites eſſe, eo adſtruit, quòd Pythoniſſa, uti Saul poſtularat, advocarit animam Samuelis. Atque addit mirificum iſtoc effatum, ὅτι πᾶσαι αἱ ψυχαὶ τῶν οὕτως δικαίων, καὶ προφητῶν, ὑπὸ ἐξουσίαν ἔπιπτον τῶν τοιούτων δυνάμεων, ὁποία δὴ καὶ ἐν τῇ ἐγγαστριμύθῳ ἐκείνῃ ἐξ αὐτῶν τῶν πραγμάτων ὁμολογεῖται. *Omnes animas virorum iuſtorum, & prophetarum, ſub poteſtatem eiuſmodi virtutum cadere: qualem & in ventriloqua illa fuiſſe, rebus ipſis ſit manifeſtum.* Sed abhorret animus credere, piorum, atque adeò prophetarum etiam animas, non in Abrahæ ſinu, nec Dei manu, ſed diaboli fuiſſe; eoque vi magica potuiſſe evocari. At, inquiunt, niſi hoc foret, non diceret Samuel, ſe à Pythoniſſa excitatum ſuaque excuſſum quiete. Scitè iſti reſpondet Caietanus, licet vocibus parum ſcitis: *Occaſionaliter fecerat movere ipſum, & adſcendere, quamvis non efficaciter*

citer, quoniam ſolus Deus potuit efficaciter movere animam Samuelis. Verum, aiunt, ſi Deus id egiſſet, eo pacto confirmaſſet magiam, ac νεκυομαντείαν: quam ſeverè adeò prohibuerat. Contrà hic alij, facto divino magis deſtrui magiam: quia, & Pythoniſſa, & Satanas, impotentiam artis ſuæ viderent: quippe non fuit ijs permiſſum, ſpectrum ſiſtere diabolicum, ut in νεκυομαντείᾳ facere ſolerent: ſed Deus, amore Regis, ſimulque ad honorandum Prophetam defunctum, extra ordinem ipſum ſuſcitavit Samuelem, qui Sauli grande ſuum peccatum ob oculos poneret, ut pœnitentiam ageret tandem, rebus ſuis in extrema, quod dicitur, tegula conſtitutis. Nempe Deus, qui non vult mortem peccatoris, noluit Saulem deſperatione abſorberi, quo nihil foret Satanæ exoptatius. Quare Deus iratus quidem erat Sauli: ſed ita iratus, vt pro infinita ſua bonitate, iram miſericordia temperaret; quo Saul de Regno quidem deſperaret, ſed non de peccatorum venia: videnſque pœnas temporales, ſtuderet effugere æternas. Vtrum in vanum hæc fuerint, non ita eſt apertum. Negat Lyranus, ſecutus Hebræos: qui arbitrantur, Saulum increpatione, ac dictis prophetæ conſternatum, mox ſeria, ductum pœnitudine, ac reliqua nocte in via ſuum deploraſſe peccatum, eiuſque veniam rogaſſe. Atque hoc eo veriſimilius putant, quòd cùm poſſet ſibi fuga conſulere, redierit tamen in caſtra; quo nomine etiam laudatur à Flavio

vio Ioſepho. Imò ne filius quidem, vel vni alteri eorum,auctor fuit,vt ſe prœlio ſubducerent,ac meliori tempori reſervarent,quia Ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται. *Qui ſugerit poſt denuo pugnaverit.* Quod igitur cum ijs in prœlium proceſſerit, vbi pereundum omnibus ſciret, id argumentum putant,non modò animi fortis,ſed etiam acquieſcentis in voluntate divina. Obiectum, vt impœnitentiæ ſignum,quòd ſibi ipſi manus attulerit.Sed Hebræi,eo id feciſſe aiunt, ne in manus veniret Philiſtæorum; quorum irriſiones, in Dei irriſionem, ac iniuriam cederent.Fatentur,ne ſic quidem effugere hoc malum potuiſſe. Sed Hebræi ſufficere opinantur, quòd Saul præſcire iſthoc nequiverit, ac meliora ſperârit.

In hocce variè adeò diſceptantium conflictu, petis etiam iudicium noſtrum, clariſsime Beverovici.Id verò adferre non verebor. Planè eos damno, qui Samuelem illum putant fuiſſe hominem vafrum ac verſipellem,nequiter ſimulantem ſe eſſe animam Samuelis. Præterea neque eos probare poſſum, qui arbitrantur, antequam Chriſtus ſatiſfeciſſet pro mundi peccatis, inque cœlos adſcendiſſet,animas iuſtorum, ipſas etiam prophetarum, fuiſſe in diaboli poteſtate, eoque in magicâ potuiſſe evocari. At nolim nimium contentionis funem ducere, cum ijs, qui putent, fuiſſe ſpectrum diabolicum: vel illis, qui cenſent verum fuiſſe Samuelem, h. e. animam Samuelis, non quidem eo

indutam corpore, quo ſuſcitabitur extremo die; ſed veſtitam corpore aërio, cum quali Angeli Abrahæ apparuerunt: neque vi magicâ compulſam, vt ſe ſiſteret; ſed volentem paruiſſe Deo, à quo Sauli adduceretur, vti Chriſto Moſen, & Eliam, ſtitit in monte Thabor. Vlteriùs ſi poſcis, vtram ex duabus hiſce ſententijs magis probem; priùs quidem dixero, malle me controverſiam hanc alijs decidendam relinquere: vt quibus eam ad rem tum ingenij, & doctrinæ; tum etiam otij ſit amplius. Sin porrò vrgeas, vt & ipſe, ſicuti Iuriſconſulti loquuntur, ſignem reſponſum: non gravabor hoc amicitiæ noſtræ dare, vt perſcribam, quid maximè arrideat. Videlicet ijs lubentiùs me aggrego, qui poſteriorem ſequuntur. Ac primò eo moveor, quod Scriptura ſemper nominat Samuelem; aliter nuſpiam. At à proprietate vocum non eſt recedendum, vbi ratio non compellit. Non diffiteor, veriſimilia quædam pro tralatitiâ ſignificatione adferri. Sed nec minùs mihi veriſimilia videntur, quæ alij reſpondent. Longè verò alia eſt ratio eius, quòd diabolus dicitur ſerpens: cùm apertum ſit, ſerpentem loqui non poſſe, niſi alieno ſpiritu movente: ac præterea ſemper de eo Eccleſiæ convenerit, invidiâ Diaboli peccatum eſſe ingreſſum in mundum, & (vt Chriſtus ipſe ait Ioan. VIII. 44.) diabolum fuiſſe homicidam ab initio, h. e. à mundi origine: vt mittam, quòd propterea in Apocalypſi *draconis magni* nomine non alius, quàm diabolus;

bolus, poſſit intelligi. Num paris aliquo, vel ſuppa-ris momenti poſſunt adferri, cur per Samuelem, Samuelis imaginem κατὰ μεταφορὰν ſignari credamus? Quid quòd in Samuele ſolum foret metaphora: in ſerpente etiam metonymia concurrat, cùm in ſerpente vero delituerit diabolus; non item (quod ipſi agnoſcent) in vero Samuele. Vt omnino maximum inter eas locutiones diſcrimen ſit apertum.

Præterea plurimùm commoveor auctoritate Sirachidæ: non quaſi in canone ſit Hebræo, quod aliter eſt; ſed quia magna eius ſemper auctoritas fuerit tum inter Iudæos Helleniſtas, tunc inter Chriſtianos. Quam eo minus detractum illi ire debemus; quòd ijs vixerit temporibus, quibus de communi Hebræorum ſententia maximè potuit conſtare. Siquidem liber is Hebraicè ſcriptus à Siracho, Græcè autem redditus ab Ieſu Sirachi illius nepote. Ac nepos quidem claruit temporibus Ptolomæi Euergetæ, qui Philadelpho ſucceſsit. Sirach autem tempore Ptolomæi Lagidæ, qui vnus ex Alexandri M. ducibus fuit. Sanè paullò ante tempora Alexandri M. Prophetæ deſierunt. Nam Malachias, ac Nehemias, æquales fuere: at meminit Nehemias, tum Sannaballati, qui extremis Darij Codomanni temporibus Samariæ præfectus fuit, & templum in Sarizim conſtruxit: tum etiam Iaddi, ſive Iadduæ, qui, mortuo aliquanto ante Nehemia, Alexandro M. obviam proceſsit; vt ex Ioſepho

ſcimus.Iadduæ in Pontificatu Maximò ſucceſsit filius Onias ; nempe eo tempore , quo Seleucus Nicator,vnus ducum Alexandri M.diadema in Syria adſumpſit. Hunc excepit Simon,cognomento Iuſtus : illum filius Eleazarus , qui extremis claruit Ptolomęi Lagidæ , ac primis filij eius Ptolomęi Philadelphi temporibus. Atque hic Eleazar eſt, à quo miſsi dicuntur LXX. ad Scripturas Gręcè transferendas.Eo tempore etiam Sirach vixit : imò,vt à quibuſdam traditum,& ipſe è numero erat LXX.interpretum.Vti verò,deſinentibus Prophetis,cœpit Synagoga magna ; ita deſijt eadem in Onia , Iaddi filio : vt cum Sirach clatuerit ſub Eleazaro , Onię nepote , Iaddi pro nepote , ſatis clarum videatur, quantillo tempore idem abfuerit à Synagoga magna , imò ipſis Prophetarum temporibus. Iccirco non poſſum aliud in animum inducere, quàm optimè Siracho conſtitiſſe , quę de Samuele illo opinio fuerit Hebręorum , imò & Synagogę magnę, atque adeò ipſorum Prophetarum.

Addam his & aliud argumentum , quod ex veteribus Eccleſię doctoribus , longè plures Samuelem illum verum putarint. Nam,vt prętercam Ioſephum in VI. Antiquit.cap.XV. nec repetam, quę de Iuſtino antea dixi ; eſt hęc ſententia Baſilij Epiſt.LXXX. quę ad Euſtatium medicum ; Ambroſij item in caput primum Lucę ; & Hieronymi in cap.VII. Ieſaię. Imò & Auguſtinus,vtcunque fluctuet , non modò in memorato ſuperiùs opere ad

Sim-

Simplicianum; ſed etiam ad Dulcitium lib. VIII. quęſt. VI. poſtea tamen fuiſſe Samuelem verum ſtatuit; vt liquet ex libro de cura pro mortuis cap. XV. Scio, contrariam ſententiam reperiri lib. II. de Mirabilibus Scripturæ, item lib. Quęſt. Vet. & Novi Teſtamenti. Sed neutrum volumen eſſe genuinum, eruditioribus in confeſſo eſt. Et ſanè, quibus placet, larvatum fuiſſe dæmonem, eo potiſsimum moventur, quòd extremæ ſit impietatis dicere, quod, vt Procopij vtar verbis, περιέργων ἐπῳδαὶ ψυχῶν ἁγίων κρατήσουσιν, ὧν ἔτι ζώντων οὐκ ἐκράτησαν οἱ δαίμονες: *curioſorum incantamenta poteſtatem habeant, in animam Sanctorum; in quas, dum viverent, nulla erat dæmonibus poteſtas.* At nihil nos ea res tangit, quibus placet ſententia, quam idem Procopius poſtea memorat his verbis: Τινὲς δέ φασιν ὀφθῆναι μὲν ὄντως τὸν Σαμουήλ, ἀλλὰ Θεοῦ τὴν ψυχὴν παραστήσαντος, οὐ τῆς ἐγγαστριμύθου ταύτην ἀναγαγούσης. Μόνον γὰρ ταύτην ἰδεῖν τὸν Σαμουήλ, ἀλλ' οὐκ αὐτὴν ἀναγαγεῖν ἡ θεία λέγει γραφή. *Nonnulli autem dicunt, revera quidem Samuelem apparuiſſe: ſed Deo hanc animam revocante, non Pythoniſſa. Scriptura enim tantum dicit, ab hac viſum Samuelem, non revocatum.* Dixeris, ex ea conſequi ab illa revocatum, quod Samuel conqueratur, ſe ab ea inquietari. Sed enim, vt antea ex Caietano dicebamus, hoc non vltrà extendendum, quàm quòd occaſio fuerit, cur Samuel non in quietis ſedibus permaneret. Si enim Saul non acceſsiſſet Pythoniſſam, ac Samuelem excita-

ri petijſſet: nec Deus hac occaſione vſus foret ad verum Samuelem, Angelorum miniſterio, ſiſtendum Regi, vt hunc delictorum commoneret, eique mala imminentia nuntiaret.

Fuſè ſatis expoſuiſſe mihi videor, quò maximè inclinet animus in hac quæſtione; vbi, quia fidei controverſia non eſt, modeſtè inter ſe diſſentire Chriſtianis, & licuit, & licebit ſemper. Tibi verò eximie & vir, & amice, ſi fortè aliter videatur, cauſſas perſcribe. Equidem, quo magis eluceat veritas, dummodo animo magis licuerit eſſe otioſo, vlteriùs reciprocare hanc ſerram non gravabor. Sed præterea rectè atque ordine feceris, ſi iudicium exquiras vrbis veſtræ Theologi præſtantis, amici communis, Andreæ Colvij, viri variæ admodum eruditionis, quem merito maximi facere ſoleo. Addo neceſſarium, ac propinquum meum Ampliſsimum Iacobum Cornelij Wittium I. C. virum conſularem, egregium Vrbis veſtræ ornamentum: quem intelligo tecum Hagæ Comitis nunc agere in Illuſtrium Hollandiæ & Weſt-Friſiæ Ordinum Delegatis. Nolo te onerare multis, & mei amantibus, ſalutem meo nomine dicendo. Sed duos non poſſum præterire Ampliſsimos viros, Iacobum Corputium, Vrbis veſtræ, vt nunc loquimur, Scabinum; & Cornelium Somerum Senatorem ac Medicum; illum arctiſsimâ, ac geminâ affinitate, hunc etiam ſanguine coniunctum. Amſtelodami Kal. Ianuarijs anni CIↃ.IↃC.XCLIV.

quem

quem tibi,familiæque, atque ijs, quos dixi,& vniverſæ Vrbi Dordrechtanæ, proſperum ac felicem ex animo exopto.

IOHANNI BEVEROVICIO,

Senatori, & Medico Dordrechtano,

IOH. WESTERBVRGIVS:

S. P. D.

VIr clariſsime,me rogas multa ſuper maiorum ipſis mundi naſcentis incunabulis terram inhabitantium, *μακροβιότητα*: Quamquam laſſus ab hodierna lectione,non committam tamen,heſterni promiſsi immemorem vt arguas. Nihil enim magis in voto Weſterburgio, quam viris omni doctrinarum genere præſtantibus, qualicumque labore gratificari. Sanè maiorem recentis quam ſeneſcentis mundi vigorem fuiſſe, in aperto eſt: at non æquè ratio inſolitæ illius vivendi prolixitatis: Nos illum in breviores illius temporis annos, noſtris omnino impares, quique menſis tantum ſpatium exæquarent, non conijcimus, apage ridiculam & ſacris literis iniuriam opinionem. Abrahamum legis plenum, & ſaturum dierum, valida in ſenectute,naturæ conceſsiſſe, natum ſcilicet annos 175. qui ex iſtorum hominum ſententia annos dumtaxat efficerent 17 & s. quis non rideat talem

ſenectutem? alia iſto delirio confutando opportuna iam non adferam.

Igitur, Dei voluntatem, vt rerum omnium, ſic & ſupremam μακροβιότητας maiorum cauſam ſtatuimus, qua haud dubie nuper admodum nati generis humani propagationem, & per eandem, Eccleſiæ ſuæ & gloriæ dilatationem ſpectavit. Prov. 16. vnde eſt quod dicat Deut. 30. 10. Ego ſum vita tua & longitudo dierum tuarum. Intererat igitur vt hoc beneficio, ſancti Patres agnoſcerent, non humana virtute, ſed divina promiſsione, & viribus è cælo inditis, eos poſteritatem adeptos eſſe: quemadmodum Abrahamo centenario, vires collatæ ad generationem, quibus ætate illa fuerat cariturus.

Deinde huic accedentes cauſæ phyſicæ & ſuum pondus habent. I. Complexionis bonitas, quæ nullis hactenus morbis fracta & vitiata, & ad reſiſtendum noxijs rebus probe armata, haud ita facile ſuccubuit: Cæterum nihil eſt quod dubitemus, in vegeto illo primi ſæculi vigore, corporum temperamenta, à natura benigniori generata, integriora & firmiora fuiſſe.

II. Temperata victus ratio: frugalitas enim (dico Bacche pater vt audias) valetudini conſervandæ inprimis conducit: atqui illius patres erant ſtudioſiſsimi. Hodie plures gula, quam gladio pereunt; & mihi ſi mortis ſimulachrum fingendum, non dexteram telo, quo petat ſternatque mortales,

ſed

ſed poculo armarem. Examinate Viri medici naturalis & ſimplicis virtus potuſque ſalubritatem: contra ñum varietas menſæ dubiæ, & ciborum condimenta diverſiſsima, vitam debilitent: dic Flacce,

---- Simul aſsis
Miſcueris elixa, ſimul conchilia turdis,
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoque tumultum
Lenta feret pituita.

III. Bonitas nutrimenti: quoniam ante diluvium, herbarum, ſeminum, fruticum, &c. eſus erat ſaluberrimus, & à recenti creatione incorruptior: at mox deterior factus propter ſalſas Oceani aquas, ſuæ inundantes terram, non levi eam detrimento affecêre.

IV. Peritia phyſices & Medicinæ? quoniam vivaciſsimis hominibus inſignis opportunitas diſcendi erat ea, quę ad ſubvertendam valetitudinem maxime noxia & evitanda, tum quæ ad tuendam maximè vtilia & ſectanda eſſent.

V. Salubritas cœli & ſiderum illius regionis: habitarunt enim Patres ad Orientem, regione, aëre, climate ſaluberrimo.

VI. Addam, vt diu viventes homines poſſent reperire artes & ſcientias generi humano vtiles, quæ non niſi longiſsimi temporis experimento inveniuntur: Recte enim dictum ab Ariſtotele, Tempus eſſe inventorem, & promotorem artium & ſcientiarum. Cæterum vt menſura corpora noſtra

ſtra deſecere, à proceriori maiorum ſtatura, quid mirum ſi etiam a firmiori robuſtiorique temperamento?

Has rationes ſi quiſquem haud tanti faciendas exiſtimet, ut ijs tuto auſit inniti, firmioreſque deſideret, aut dari poſſe aliquas negat, ob latentem miraculi magnitudinem, cuius occulta ſemper ratio. Equidem per me licet, ut primam eamq; metaphyſicam amplectatur, modo in artem principem, divinitus natam acceptamque in ſalutem vitij humanij, omnibus ſecundis cauſſis ſpretis, injurius non ſit. Atque hæc Vir Clariſſime, in procinctu, & ſtans pede in uno ſcripſi, ut hodie tantum memoriæ tuæ ijs inſerviam, τάχ' ἄνελον ἐσεῖ' ἐμένον, & elaboratiora pridem alia videbis, volente Deo. Dordrechti VI. Kal. Quintil. M. D. C. XXXV.

CORNELIO A SOMEREN,

Senatori, Quæſtori, & Medico Dordrechtano,

IOH. BEVEROVICIUS

S. D.

CLariſſime vir, Quam nuper verbis mecum communicaſti de Abortu egregiam curationem, eam ſi ſcripto conſignare, non gravaberis, optime, ut ſoles, de arte noſtra, & artis Apollineæ

pollineæ myſtis mereri poſſes. Quod quamvis vix ſperare faciant negotia,quibus te nupera Quæſtura auget, tamen ſpem non adimit tuum de ægris benemerendi ſtudium. Vale, Collega obſervande, & me tui obſervantiſſimum amare perge. Nonis Ianuarij CIϽ IϽCXLIV.

IOHANNI BEVEROVICIO,

inter Proceres Hollandiæ deputato, & urbis Patriæ Medico,

COR. A SOMEREN

S. P. D.

QVam friuola ſit ſuperbiſsimi animalis origo, Nobiliſsime Domine, apparet ex eo quod ita facile abortum incurrat. Is ergo vitam profecto æquâ lance penſitabit, qui ſemper humanæ fragilitatis erit memor, eo enim humana hæc fragilitas devenire poteſt,ut in matris utero fętus dolores & cruciatus diros partus non ſolum perferat, ſed ipſam etiam mortem experiri ſit coactus, ita ut labores, ac atrocia patiatur mater frequenter tormina, & nondum natus, aut in lucem editus fœtus ſępe extinguatur, unde abortus nomen, quaſi imperfecti & ante tempus maturationis fœtus prolapſus,ceu,ut tuis melioribus utar verbis,quaſi ante tempus & imperfecti fœtus excluſio. Sed hęc præter

præter inſtitutum, ne ergò diutius tua morer tempora, aliquid de abortu paucis dabo. Venit ad me antè pauculos aliquot menſes multùm reverenda Domina vltraiectina (cuius nomen lubens prætereo) cognata Zythepſæ, qui antè annos aliquot, ob captam BREDAM vrbem à milite Hiſpano, apud nos in civitate patriâ habitatum venerat, hæc; inquam decem abortus maſculos, cum magno vitæ ſuæ tædio, perpeſſa erat, & denuò gravida ex vndecimo fœtu. Abortus huius cauſſam ex me intelligere anxiè quæſivit, & vt opellam meam in præſcribendo ſalutari aliquo conſilio conferrem perditè rogavit. Curam huius atrocis & crudelis mali in præſervatione ſitam eſſe, prædixi. Cauſam tam frequentis carnificis abortus ex humido ac frigido temperamento traxiſſe originem iudicavi. Frigus enim naturæ inimicum, & exiguum fœtui ſuppeditat, vt noſti, alimentum. Ex lege præceptoris noſtri. τὸ ψυχρὸν πολέμιον ὀστέοισιν, ὀδοῦσι νεύροις, ἐγκεφάλῳ νωτιαίῳ μυελῷ. Partes naturâ frigidiores & membranoſæ, nunquid, vir magne, inter quas eſt vterus, citius magiſque immoderato frigidorum vſu offenduntur? Humidum verò temperamentum (quo & hæc matrona laborabat) ligamenta vteri perpetuò laxaverat, mucci laginoſa, ac viſcoſa reddiderat, cum acetabula humore lento glutinoſoque plena eſſent; ita vt non amplius conſolideſcerent, neque exſiccarentur. Excandeſcentia animi nimia cum horripilatione,

pilatione, imò conquaſſatione corporis totius, & repentinus proſpectus rerum horribilium hoc malum ſæpe adauxerunt, unde decem hi fætus omnes fuere ſuffocati. Facultas etiam uteri retentrix imbecillior jam facta, quam ut potuerit fætus hos omnes alternatim ad maturitatis perfectum tempus retinere, ac conſervare, ex quâ humiditate muccoſa, orificium ceu uteri collum fiebat hiatum. Arcta etiam huius gravidæ mulieris ligatio, ut gracilis appareret perpetuo debilitabat fœtum. Suo tamen tempore vixerunt ſinguli in utero matris, & eorum motus ſatis validos perſæpè perſenſit uſque dum abortiret. Diarrhæa pituitoſa, ſalſa, ſubinde laboraverat cum febre lentâ erraticâ: ita ut & ex hoc hoſte gracilis ac extenuata aliquomodo quotidie evaderet, juxta oraculum divini noſtri ſenis, l. v. aps. 31. *Γυναῖκα ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ὑπό τινος τῶν ὀξέων νοσημάτων ληφθῆναι, θανάσιμον*, Mulierem gravidam ex ullo morbi acuti genere laborare, funeſtum; quod febris acuta abortum procreat. Geminum enim fœtui impendet periculum ex morbo acuto, vnum à febre ipſa fœtum perimente, alterum quod ex longo intervallo cibaria dantes eundem alimenti penuria & fame enecamus. Quod ſi ut mulierem ſervemus cibaria crebro & benigne exhibuerimus ait Gal. in com. ad locum citat. intempeſtivo cibo aucta febre continua prægnantem tollemus è medio. Ritè præceptor noſter, l.

v. ap.

v. aphs. xxxiiii. *γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ἢν ἡ κοιλίη πολλὰ ῥυῇ, κίνδυνος ἐκτρῶσαι.* Mulieri gravidæ ſi aluus profuſior ſit, abortionis periculum imminet, quod alui fluxus abortum producat. Vacuationis ratione periculum hoc abortus gravidis imminere inquit Gal. aluo immoderatius fuſa, ſicut de ſanguinis miſsione oſtendit idem auctor, cum inquit, *γυνὴ ἐν γαστρὶ ἐχούσα φλεβοτομηθεῖσα ἐκτιτρώσκει, καὶ μᾶλλον, εἰ μεῖζον εἴη τὸ ἔμβρυον.* Non modo venæ-ſectione, ut à me jam dictum, ſed longiore etiam inediâ fætus in utero matris enecatur, alimenti ſcilicet defectu. Meritò itaque grandior fætus ſectâ prægnanti venâ citius abortit, quia videlicet eget copioſiore alimento. Et quod gracilitas corporis etiam abortum faciat, ſæpiſsime à nobis animadverſum, & id etiam docet divinus noſter ſenex, ubi ait. *Ὁκόσαι παρὰ φύσιν λεπταὶ ἐοῦσαι ἐν γαστρὶ ἔχουσιν, ἐκτιτρώσκουσι πρὶν ἢ παχυνθῆναι.* Quæ præter naturam graciles ceu teueesuterum gerunt, abortiunt priuſquam habitiores fiant. Quia univerſum alimentum fætui deſtinatum matri valdè extenuatæ ſit impartiendum. quum itaque longo tempore opus ſit, ut quæ ita extenuata ſit iterum reficiatur fit ut interim fætus alimento ſuo privatus pereat. Nam quæ præter naturam ſunt extenuatæ, aut ſupra modum & magnoperè emaciatę quaſque prius refici, deinde ingravidari oporteat: ſi priuſquam probè ſint refocillatæ, concipere occupant, eas inquit Hippocr.

non

non poſſe refici, quin ſanguis ad fœtus nutritionem ſuppeditandus ad gravidæ ipſius nutritionem rapiatur, quo fiat ut fœtus ſufficienti deſtitutus alimento enecetur. Venio ad curationem, Vir Clariſsime, & quomodo peregerim, eam tibi breviter exponam Primò aërem calidum præſcripſimus, alimenta etiam calida ac ſicca, & quæ ſanguinem producere ac generare poſſunt, addidimus. Vt carnes avicularum montanarum, perdicum, cuniculorum, leporum. Carnes hæ potius aſſæ erant, quam elixæ. Miror ego, vir Excellentiſsime, gentem medicorum tam perperam de carne leporinâ ſenſiſſe, quod melancholiam pariat, & φαντάσμα melancholicum menti, rationis arci, offundat, cum & Martialis poëta inſignis, alioquin obſcenus, leporinam carnem bonum alimentum ſuppeditare humano corpori indicare videatur, cum ait.

Si quando leporem mittis mihi Gellia dicis,
Formoſus ſeptem Marce diebus eris.
Si non derides, ſi verum lux mea narras,
Edisti nunquam Gellia tu leporem.

Quum & idem poëta circa finem ſui opuſculi hoc manifeſtè innuit.

Inter aves turdus, ſi quis me iudice certet
Inter quadrupedes, glòria prima lepus.

Gal. eiuſdem eſt ſententiæ, dicit enim ſanguinem leporinum velut omnium ſuaviſsimum apud veteres ſemper in pretio fuiſſe. Sed hæc miſſa faciam

cum

cum ſint præter inſtitutum, pergam de curatione dicere, ne te detineam. Hanc ergo a me ſumpſit potionem palato ſuo ſatis gratam, & id quidem loco cereuiſiæ, ad fœtus nutritionem, uterique corroborationem. R. aq. plantag. lib. ij. aq. roſ. ℥iij. conſer. roſ. rubr. unius anni, rob de ribes, conſer. acaciæ an. ℥j. carnis cydon. veter. ℥ij. margar. præpar. coralli rubri an ʒj magiſter perlarum, corallor. an ʒj. ſpec. diambræ (quæ egregiè fœtum & matricem reſtaurat, ac abortire mulierem prohibet) ʒj. ſpec. aromatic. roſatij, diarrod. Abbat. diatr. ſantali an ℈j. cinnam. ʒij. ſacchari roſar. tabellati. ℥ij. aut q. ſ. traijciebantur, omnia per ſaccum Hippocraticum. Ex cujus colatura bis terue de die ℥iiij. uſa eſt familiariter, & ſenſit ex ijs perpetuo validiorem fœtus motum. Poſtea & hoc quod ſequitur conditum adiunximus ad cautelam maiorem, ac præcautionem. R. conſer. roſ. rubr. ℥. confectionis Alcherm. coralli. ʒj. margar. præparat. ʒj. magiſterij perlarum & coralli an. ℈j. coralli rubri, ſpec. diambræ an. ℥j. ſe plantag. (matricem corroborare abortumque prohibere fertur) ʒij. ſpec. aromat. roſ. ℈. ſpec. diagalangæ, diatrionpipereon. diacumini, ſpec. diatrag. frigidi an. ℈j. cornu cerui uſti ℈ij. cum roſ. de roſ. ſiccis q. ſ. f. conditum ex quo bis de die aſſumpſit, ac devoravit magnitudinem caſtaneæ. Hoc etiam additum à me linimentum. R. olei maſtich. cijdon myrt.

an.

an. ℥j. lapid. hypociſtid. acaciæ, boli armeniæ, ſang. dracon. an ʒj. ſantali citrini ʒij. ceræ q. ſ. f. linim. pro inferiore ventre hypochaſtrio dicto. Tandem, Excellentiſſime BEVEROVICI, his peractis cottidie loco potus ordinarij ex hoc nectare Hippocratico (uſque dum nonum peregiſſet menſem ſuæ ingravidationis, & iam partus inſtaret) bibit, quo ſæpe cum multarum ingravidarum mulierum ſalute ſummâ ſum uſus.

Reſ. vini rubelli ſtiptici lib. vj. conſer. roſ. rubr. unius anni ℥iij. cornu cerui uſti, rad. hæpaticæ inciſæ minutim an ℥ij. margaret. præp. ℥.3. coralli rubri, cinnamo an. ℥j. Infund. per horas 24. ſub cineribus calidis, & cottidie bis de die ex eo utebatur largiter. Cum vero de novo ex hoc nectare Domina noſtra ægrotula doſin aliam aſſumeret, rurſus denuo nova fiebat miſtio, ut medicamentum hoc ſeletum majores facultates ad fætus reſtaurationem habere poſſit. Rotulæ & hę ſequentes, quibus & apud alias matronas ſæpe uſus ſalutari cum ſucceſſu, à me exhibitæ. Reſ. ſpec. diambræ, diamoſci dulc. an. ʒj. ſe. plantag. ʒj. magiſterij corall. perlar. an. ℈j. cornu cerui uſti, ℈iiij. ſacchari albiſſ. in aq. plantag. diſſol. q. ſ. fiebant rhombi, quibus cottidie ad matricis & fætus roborationem utebatur. Poſtremo & hunc pulverem (qui & miraculi inſtar ſæpè alijs profuit) cum aq. plantag. aut vino rubro ſtiptico bis terue deglutivit. Reſ. troch. de carabe, boli

Arm. veri an. ℈ij camphoræ ℈j. ambræ ℈iij. m. f. pulvis pro. iij. doſibus. Quibus omnibus cum iam uſque in ultimum ingravidationis menſem uſa eſſet, validum poſtea ac vivum feliciter peperit undecimum fœtum maſculum, qui etiamnum ſuperſtes. Hæc paucula Excellentiſſime BEVEROVICI dicere habui, & in gratiam tuam fari fui coactus. Hæc & artem noſtram tangunt, in quâ annos circiter triginta una ſimul in civitate patriâ mutuo conſilio, & innumerabilium ægrorum auxilio, nocte dieque, in utilitatem ac rem eorum ſudavimus. Tu vero ad majora natus, & jam inter patriæ PROCERES promotus, ita ut non tantum Medicinam, ſed & Philoſophiam ceu ſapientiæ ſtudium, hiſtorias, Politiores litteras, atque amæna illa Philologiæ ſtudia, adeoque ἐγκυκλοπαιδείαν, atque univerſum illum ingeniarum artium orbem non ſolum calles & colis, ſed & eos amas qui illa colunt, eoſque qui ſtudia illa negligunt deſpicis. Sunt enim quidam male feriati, qui, quod ipſi ſe aſſequi poſſe diffidunt, irrident, perinde ac vulpecula illa, quæ uvas acerbas dictitabat, quarum compos fieri non poterat. Nimirum ſic agentes, ut, niſi quod ipſi ſciunt, nihil præclarum putent ; ac ſummam in eo gloriam collocant, ut ſtrenue omnia vituperent, ſicque callide quidam affecti ſunt, ut quod negligentia diſcere non potuerint, id iudicio quodam perverſo poſt habuiſſe videantur. Sed his ſaniorem in ſano

iam

iam corpore opto mentem. Tibi vero, vir magne, ac ad miraculum erudite, alia mens in mentis tuæ arce, qui tempus illud quod Medicis laboribus ſurripis, alijs occupationibus impartiris, ſine quibus, ut paucis dem, medicinæ ſtudium mutilum cenſeo. Vale eruditorum decus, ac ornamentum. Ex tempore dabam veloci calamo. Dordrechti v. Cal. Febr. CIↃ IↃ C XLIV.

OTHONI HEVRNIO,

IOH. F.

Anatomico, & Medicinæ in Acad. Leydenſi Profeſſori primario,

IOH. BEVEROVICIUS

S. P. D.

QVo tibi, Vir Clariſſime, plura debeo, quæ ſolvendo non ſum, eo magis officij mei eſſe arbitror, bona fide nomen agnoſcere. Velim in lucem edi quæ confecta te habere audio, præcipue tractatum de Mumia, quo mihi, reliquiſque diſciplinæ tuæ, imo omnibus artis alumnis prodeſſe pergas, & nomen veſtrum à magno parente iam conſecratum immortalitati, tuis quoque monumentis reddere illuſtrius. In quo omi-

Digitized by Google

ne deſino, & te Doctor obſervande, diu reip. academiæ, & nobis incolumem eſſe opto. XI. Ian. CIↃ IↃ CXXXII.

De Hymene utrum cum Pinæo ſentias, & de Valvula, an cum Pavio τῷ μακαρίτῃ.

IOHANNI BEVEROVICIO,

Art. & Med. Doctori,

OTTHO HEURNIUS

S. D.

VIR præſtantiſsime, benignum tuum erga me affectum ex literis recognoſco, & gaudeo etiamnum tibi meorum beneficiorum memoriam inherere. Nundum ad meorum ſcriptorum publicationem temporum venit maturitas : interim continuato laborum curſu quotidie in inſtituto pergo, & Medicinam particularem & generalem adorno : præcipitare meam exiſtimationem nolo, verum maturum edere partum, aut mecum mori volo. Mumia inter ultima publicam videbit lucem, etiamſi paucorum menſium ſpatio perfici poſsit. Sed tot tantæque meę in alijs elaborandis occupationes detinent,ut Mumię vacare non poſsim niſi prius illis manumiſsis. Hymenem omnino agnoſco : Coli valvula adeo clara res eſt ut hic in dubium hoc vocare eſſet de luce meri-

meridiana litigare.

Aliquoties eam publice demonſtravi adeo manifeſte ut aër e colo regurgitans per ipſam, candelam cum bambis extingueret. Et tu facile in cadaveribus deprehendes, ſi meam encheireſin ſequaris 1° ſit cadaver recens, non ultra biduum vita defunctum. 2° maneat color in ſitu & connexione naturali. 3° diſsinde colon vulnere non maiore quam ut follis tubuli apicem admittere queat in ventriculi vicinia, hoc eſt ferè prope latus ſiniſtrum. 4° infla ſalle colon, & cum hoc flatu diſtenſum eſt, tunc eo loco ubi videbis ſiſti coli diſtentionem, ibi eſt Valvula. 5° duorum latorum digitorum ſpatio poſt valvulam, vel ſi illum reſpicis nuce Valvulam verſus Inteſtinum ileum (cuius finem amplificatum veteres Cœlum appellarunt, quod eſt ante Valvulam) ibi inquam diſſcinde inteſtinum amplo largoque hiatu, ut Valvula a flata (qui ex colo affluit) diſtenta ſere oſtentet. Videbis duo labra membranacea inſtar Valvularum ſibi mutuò incumbentia: inſtrumento obtuſo urge introrſum ea labra, vel unum ex illis, & admove candelam: cum crepitu aër exiliet, haud aliter ac ſi ab ano prodiret, & candelam extinguet. Sed ſi fuerit ſubiectum diutius vita defunctum, aut ſi aqua colon impleas, fruſtra Valvulam inquires, quia membranacea ea labra concidunt, & obicis firmamentum exuunt. Leydæ, anno 1632. Ian 19.

IOHANNI BEVEROVICIO,

Doctori Medico Dordrechtano.

GUIDO PATINUS, Bellovacus,

Doctor Medicus Pariſienſis,

S. P. D.

VIR eruditiſſime, & amicorum ſuaviſſime, Breviter & libere dicam : Amoris in Te mei, neque in Me tui, non eſt, quod quicquam pœniteat : ſed hoc unum me angit, atque male habet, quod tam raras, & parum frequentes à te accipiam epiſtolas : non quod plura rerum tuarum noſcere cupiam : hoc unum aveo ſcire, an valeas, quid agas dulciſſime rerum, quid novi operis habeas in manibus, an Ideam Medicinæ ex veteribus non Medicis auctam atque locupletatam : an quid aliud novum, idemque optimum qualia ſunt omnia, quæ ante hac in lucem emiſiſti, nec alia eſſe puto, quæ poſthac ex Te prodibunt. Si vales, bene eſt, ego quidem valeo, ut & Renatus Morellus, & Gabriel Naudæus, tui meique. Ingenuus, & eruditus adoleſcens Germanus, Brunſvicenſis, Herm. Coverdingius, revertens in Bataviam, Germana fide mihi pol-

licitus

licitus eſt, ſe Tibi has meas redditurum : antehac alias ſcripſi, quas perijſſe ſuſpicor, quo malo fato, neſcio, aut potius quo dæmonum monſtrante hanc perfidiam, ut eiuſmodi curſorum, & tabellariorum incuria, innocentiſſimorum hominum, & ſuaviſſimorum amicorum per literas commercium impediatur. Male ſit ijs, per quos iſtud ſcandalum. Itaque Te enixe rogo, ut quamprimum poteris, brevi ſcripto ſignifices, ut valeas, ut noſtri memineris, & quid novi operis perficias. Ab eo quoque Germano Medicam Theſin accipies, cui antehac præfui, quam magnum hic meruiſſe plauſum ab omnibus intelligo. Vale, Vir clariſsime, & me, quod facis, amare perge. Lutetiæ Paris. XIII. Mart. CIↃIↃCXLIV.

QUÆSTIO MEDICA,

DISCVSSA IN SCHOLIS Medicorum Pariſienſium.

M. GUIDONE PATIN, DOCTORE MEDICO ET Cenſore Scholarum, Moderatore.

Eſtne totus Homo à Natura morbus?

VITAM nullus acciperet ſi daretur ſcientibus; ad eam enim cui patet ingreſſus, patet & ad miſeriam; nec quò longior, melior, ſed quomodo fabula, ita & vita: quàm bene, non quàm diu acta ſit refert. Primo reſpondet vltimus dies; vtque illam à doloribus auſpicamur, ſic ab ea vi laborum eiicimur. Medii temporis curſus vix motu tranquilliore peragitur: hunc nobiſcum diuidit ſomnus, & pars æqua morti ſimilis exigitur aut pœnæ, niſi contingit quies, reliquum tenent tormenta. Vndique mala circumſtrepunt, vbique bellum & inſidiæ, nullibi induciæ, omnis dies, omnis hora nos mutat. Mundus in vnius hominis gratiam

gratiam factus, videtur odio in ipſum plenus, vt per ea perniciem creet, per quæ nos tuetur & ſuſtinet. Quin & putre hoc corpus, animi pondus ac pœna, tam malè conuenit nobis, vt quod euenit in alieno habitantibus, ſemper aliquid ſuperſit aut deſit. Hinc crebri dolorum morſus & innumeri morbi, qui vel ſilentio ſubeunt, vel aperto Marte graſſantur & ſæuiunt. Neq; enim tam vario genere viuimus, quàm ægrotamus; & mors vt ſemel jugulet ſæpe nos experitur. Quid quod non rarò transferuntur morbi; nunquam verò ſanitas? Dubium quoque an Natura melior Parens, an triſtior nouerca fuerit? brutis indulſit animas, nobis animum quoque; ſed ſæua mercede contra tanta ſua mnnera: nam vt multi ſint à corpore morbi, adhuc tamen plures ab animo. Neque verò acuendum eſt ferrum, aut temperanda ſunt venena, vt partis vtriuſque infirmo vinculo cohærens ſocietas dirimatur: Leui quippe externarum iniuriarum afflatu vitâ exuimur, penèque in id videmur naſci, vt vitâ defungamur. Nec à ſolis morbis afficimur: faceſſunt & negotium illorum prodromi: ipſe ſomnus, aliàs pars humanæ melior vitæ, etiam valentibus aliquid graue & periculoſum minatur, vt & peruigilium, oris amaror, & ἀνορεξία, bilioſæ impuritatis propagines: ſudores humidioris hepatis indices: necnon iſpa ſitis, ſiue ſit à Ventriculo, ſiue à Pulmone. Laſſitudo multis

tis medis nocet, quæ cùm triplex ſit corporis, & ad cuius depulſionem tota Medicina requiritur, eſt & ingenij, nec illa leuis, imò ſupplicium inſolens, & ſedentium ad libros miſerum ſtipendium. Viri etiam robuſtiſſimi non carent morbi ſuſpicione, nec ſunt extra omnem aleam: & ſua ſunt illis incommoda, pàrque per omnes tempeſtas: Imò & ipſa Athletarum euexia periculi pleniſſima eſt, niſi ſtatim ſoluatur: quidquid ad ſummum peruenit, ad exitum properat. Specioſa illa ſanitas lubrica eſt: quin & ipſi bene colorati debent habere ſuſpecta ſua bona, vt & gladiatores ſuam ſaginam: qui enim foris ſplendent, intus ſæpe ſordent. Humanæ vitæ mimum componunt atque perficiunt grandia non minimis gaudia mixta malis: nullum excipitur: medio de fonte leporum ſurgit amari aliquid quod in ipſis faucibus angat; bellum in media pace conſurgit, inuadit temperatiſſimos morbus, validiſsimos febris; & morbi cauſas ſi alia deficiunt, nimia ſibi felicitas inuenit. Neminem eò bona valetudo prouexit, vt non tantum illi minaretur quantum permiſeraat: ſed huic malaciæ ne fidito: mare momento vertitur: eodem die vbi luſerunt nauigia, ſorbentur; extrema gaudij luctus occupat. Ad hæc, præter ſolida mala quæ ſæpe muliebriter ferimus, ſæpius ad opinionem dolemus, & tam æger eſt quiſque quàm credit. Has tamen inter vitæ-ne an mortis moras? homo

æquè

æquè ſuperbum ac caducum animal, quaſi non ſentiat ire ſe, vel rapi eò quò eunt omnia, ſibi æterna proponit, & in quantum poteſt ætas humana protendi, ſpe ac votis occupat: quòdque miſerrimum, quantò illi vita fragilior, tantò eius libido effuſior: vt cùm ſinguli dies tantumdem in mortem conferant, demens ultimum exhorreſcat, eoque inſtante, vlteriorem, ſi quem poſſis aſſuere, omni pretio coemat.

IN SEMINE, è quo partes ſolidæ fiunt, & in ſanguine menſtruo, quo conſtant aluntùrque carnoſæ, ſuas habent radices tam multa quibus conflictamur incommoda, latèntque morborum & mortis germina, quæ & paria his ex quibus orta ſunt, faciunt, & citò cum corpore adoleſcunt In illo viget repugnantia primordiorum, quæ vt viuendi cauſa ſunt, ita & viæ mortis; nec minùs morborum elementa, quàm corporum; ac licèt in permiſtionem quodammodo paria venerint, breui tamen, impari prælio ſeſe vehementer exagitant; & dum in nos intus foriſque ſæuiunt, ſanitatem quam fecere ſubvertunt: adeo infida eſt ex contrariis origo. Eſt & à ſemine inſitus calor, qui eadem manu nos fouet ac conficit; & quia ſalutarem humorem ſuâ efficientiâ furtim, ſed auidiùs carpit, ipſum quoque ſe perimit: ita ut qui author eſt vitæ, idem ſit & necis. Sangus maternus, in quo & aliquod ſem-

per

in tenellula ætate, bimeſtribus, ſrimeſtribùſque, vel poſt eruptionem (quam ſi difficilis fuerit, apprimè juuabit egelidæ æquæ balneum) citò, tutò, & intrepidè adminiſtrata fert omne punctum. Fruſtra propinaueris lapidem bezoardicum, tam artis quàm artificis ſcandalum: fruſtra ſtillatitias illas aquas de vlmaria & carduo benedicto, de quibus quæ dicuntur, nugæ ſunt, verbàque inania; fruſtra decoctum lentium, vel hidrotica; fruſtra & famoſas illas confectiones de cocco baphico, & hyacintho, non tam ad valetudinem repertas, quàm excogitatas ad pompam (quaſi Medicina artium præſtantiſſima, alieno & fucato illo ſplendore indigeret) nullo nomine cardiacas, titulo quidem ſpecioſas, ſed effectu inanes, quæque ad morborum curationem non magis valent, quàm nænia præficæ ad excitandos mortuos. In hoc cenſu aurum repono, nulla alia qualitate cardiacum quàm quod mentem exhilaret.

TOTVS hic orbis valetudinarium eſt, ſed in quo πολλαὶ μορφαὶ τῶν ἀτυχούντων: quippe hominem tot vndique circumſtant morborum ideæ ut ab illis vix momento ſit liber. Nonnulli certis ſæculis prodeunt, occidunt, ut Gemurſa; & patrum memoriâ, certis Europæ regionibus cum Egypto commune malum, quod cùm olim in Reges incidiſſet, populis erat funebre, crudeli & inutili remedio, balneo ex humano ſanguine para-

parato: nec verò vtilior ἐυρȣχισμὸς, ſed nec hydragyrus, fatuæ Chymiſtarum gentis Idolum vaniſſimum. Quidam infauſta peregrinatione huc illuc vagantur: ſic luem illam Italicam, horendum ſcortatorum flagellum, Europæis aduexit India, Indis viciſſim variolas miſit Europa, altera alteri malas merces. Habet vnaquæque regio privata commoda, ſed habet & privatos morbos; ſic Hiſpaniam infeſtat ſtruma, ſic Poloniam plica, ſic Balthici maris accolas Scorbutus. Tempeſtatum viciſsitudine morbos quos creant ſingulæ non tam deponimus, quàm mutamus. Hyems ſcelerato frigore necat. Ver morborum infinito numero. Æſtas immodica ſiccitate, vitæ principia depopulatur. Autumnus, Libitinæ quæſtus acerbæ, fructuum proventu morbos creat atrociſsimos. Ipſi quoque humores quam debent fovere ſanitatem ſæpenumero labefactant. Ita ſanguinei deſipientiæ obnoxij. Pituitoſi aſino tardiores & hyeme Gallica frigidiores, nihil aliud ſunt quàm ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης. Melancholici miſeri, cauſarij, pertinaces, omnia tuta timentes, atris tenebris & carcere cæco concluſi, nigri humoris potenter dominantis ἀνωμαλία, vulgo Medicorum crucem figentes. Soli bilioſi, ſi temperati corpore, mente valent, ingenioſi, fortes, optimi. Quid multa? etiam morbus eſt aliquis per ſapientiam mori: morbis enim quoque quaſdam leges Natura impoſuit. Vere vix incipit

incipit Quartana, quæ vbi eſt autumnalis, ferè annua eſt, aut lethalis. Peſtis, Mauritaniæ vaſtatrix, parcit Occidentali Æthiopi, licèt feruidiſſimæ; minimè ſenibus, vt ſomniauit Plinius: at vbi affligit, qualiacumque adfuerint ſymptomata, nunquam ante coctionem purgandum: Eam quicumque amuletorum vſu expugnare nituntur, aut occulta virtute agentibus, non tam veratro indigent, quàm vinculis Hippocratis. Quidam in ſeruitia ſæuiunt morbi, quidam & in proceres, vt mentagra olim nobilium pœna. Sed & qui ſeparantur ſexu, ſeparantur & morbis. Viri eſto ſciant quantum poſſit vnus Vterus, certè non experiuntur. Hæmorrhois interdum purgatio, interdum vt & mulieribus morbus eſt. His aliàs pepercit Arthritis, nunc familiaris, non mutatâ naturâ, ſed vitâ; ſcilicet beneficium ſexus ſui vitiis perdiderunt; & quia feminam exuére, damnatæ ſunt morbis virilibus. Ex morbis quoque aliqui totius ſunt corporis, ut febres, ferè à bile omnes, quarum aliæ quino & ſepteno circuitu repetunt, aliæ quotannis natali die. Aliqui ſingularum ſunt partium, quæ & communibus tentantur morbis, vt omni intemperiei & tumorum genere, inflammatione, abſceſſu, vulneribus (quorum medelam nihil promouet vnguentum hopliatricum: nec militaris ille puluis ſympathicus) & ſeorſim quoque propriis exercentur affectibus. Inter Capitis vitia ſunt cepha-

lones ſunt, ridiculi, effrænes, nefarii, ardeliones, vafri, doloſi, obſcæni, turbulenti, mendaces, maligni, invidi, quadruplatores, flagitioſi, infames, contumelioſi, facinoroſi, nulla virtute redempti, à vitiis ægri, ſolaque libidine fortes, induſtria ficti, & à Natura facti ad fraudem & calumniam. Vt ut ſit, miſeri homuli medicina indigent, ſed violenta, ferro & flamma. E tot affectibus qui Thoracis ambitu continentur, cave ab hæmoptyſi & inflammatione pulmonis; nec minus lethales ſunt hydrops thoracicus (quem pulmonei pedes demonſtrant, quemque hydragogôn uſu tollere qui nititur, tortorem agit, non Medicum) angina vera, pleuroperipneumonia, empyema, niſi ſtatim fiat ſectio: crudum tuberculum, natura ſua immedicabile, cuius index eſt pulſus intermittens & inæqualis in omni genere inæqualitatis; Cordis palmos, à grumo ſanguinis, ut & phthiſis, & vomicæ putres, ab his enim ſubitæ mortes atque inteſtata ſenectus. Cor quibus lienoſum eſt, ſalit ſæpe, & momento interimit. Reuera Ventriculus plurimis vrgetur ſymptomatis, nec ferè multò paucioribus morbis: at quæ illi paſſim tribuitur Imbecillitas, nudum & inane nomen eſt, cuius curationem fruſtra per adſtringentia moliuntur Empirici, diuinæ artis quam profitentur ignari. Iecur viſcus eſt fœcundum humoribus, magis verò morbis: ab hoc ferè equuleo magis formidandus crudelis

emunguntur. Ipſi pediculi Regibus, Philoſophis & Tyrannis vitam adimere; aliis ſerpentes, qui interdum magnâ copiâ erumpunt è corpore. Scire vis an aliqui quoque ſint ætatum morbi? totam vitam tracta.

PVNCTVM eſt quod viuimus, vel puncto minus, & tamen Natura in tam anguſto plures poſuit gradus. Vix concepti & inchoati hominis ſigna ſunt mille matris tædia (tam magno empta breuis voluptas) pica, incubus, ſpaſmus, & puræ mulieres id faciliùs ſentiunt quàm impuræ. O friuolam hominis originem! ſæpe Vterus ei pro tumulo eſt, & plerumque vel abortus cauſa fit odor à lucernarum extinctu; his principiis naſcuntur Heroës, nulla lege ab iis diſſimiles, quibus interdum ante mortem erumpunt vlcera, qualia olim Lyſandro Laconi, à nigræ bilis dominatu. Eſt & vbi velut ante miſerias miſer, in vtero eiulantis vocem emittit. In partu quid non metuendum ab imperita obſtetrice? & à partu, quid non ab aliena nutrice? quanquam nec tutum puerperæ lac, à quo fiunt coloſtrati infantes, quemadmodum à bilioſæ nutricis lacte calculus. Vt hoc maternorum viſcerum latens onus ſpiritum ducat, penè mater exſpirat. Pudet referre quàm immeritò natalium nobilitate glorientur homines; fœdum, ſed tamen verum, nonnunquam ipſe Vterus prurit ac ebullit vermibus, vt cum iis ceu cum gemellis,

teſtinis lumbrici, amaris ſeminibus, acidis, oleaginoſis, aut Mercuriali aqua necandi, ſolis verò purgantibus ex aluo deturbandi; in Veſica calculus, nullo λιθοντριπτικῷ frangendus; aſthmata neq. emeticorum, neque diureticorum uſu curabilia: ſtrumæ, quæ ſi ulceratæ fuerint, malignæ, contagioſæ & immedicabiles habendæ, niſi vis maior & Metaphyſica, nempe Chriſtianiſſimi Regis ſalutares manus intervenerint: toto corpore ſcabies & furunculi, ad quorum medelam unica ἐπαφαίρεσις καὶ ἐπιχρίσις. Pueritia adeo morborum ferax eſt, ut nullus optet ad eam reverti. An etiam quia tunc deſideratur ſapientia; quæ nunquam præcox vel ſi barbam anteeat. Per hanc hæmorrhagiæ & febres diuturnæ affligunt, qui morbi ea ætate non ſolvuntur, & inveteraſcere ſolent, & obfirmari: nec attinet quod tum maximè ſequax corpus luculentum capiat incrementum: poſſe creſcere, nonne imperfectæ rei ſignum eſt?

QVÆ ſequitur ætas licèt temperatiſſima ſit, ac iam pueritæ vitia deſpumarit, peſſimos tamen affectus inuehit, cuiuſmodi ſunt morbus major, nonnunquam à flatu, tabes, cruentæ ſpuitiones. Cùm in viros evaſere, pulmo infeſtatur peripneumonià, thorax pleuritide, deterioris in ſiniſtro latere ominis, aluus dyſenterià, & diarrhœâ: cruciant demum cauſus & cholera,

cum

cum ſub pectore maſcula bilis intumuit, quam vix extinxerit vrna cicutæ; quorum ſoli atque legitimi vindices ſunt venæ ſectio & frigidæ potus. An prodeſt illa virium firmitas? tardum dictu, ſub quanam cute lateat beatum ingenium, nam & animi vigor cum corporis viribus minuitur, & nimio robore membrorum hebeſcit, quaſi ſupra mortalem ſit felicitatem & valentiſſimum eſſe & ſapientiſſimum. Inclinante ætate bilis atræ fit proventus; vnde Quartana non minùs infortunata, quia biduo medio interuallatur, & in qua *μία μητρυιὰ, δύο μητέρες*, ex Phavorino, cùm ſit juvenibus tormentum, ſenibus mors, eóque citiùs ſi continua fuerit; malum contumax & ferè pluſquam corporeum, cuius curationem fruſtra ſuſcipias pauore, maleficio vomitu, imò nec purgantium vſu, niſi præſente *πεπασμῷ*: ob id quoque ſanguis, qui aliàs ſpumanti ore euomebatur, per anum fluit idque maximè *ἐκ τῆς ἀκρεξιτοποσίης* Intereaobrepit non intellecta ſenectus; mala merx, mala ætas, & adhuc juuentutem cogitantibus ſupra caput eſt: nihil habet quod ſperet, quem illa ducit ad mortem, huic vni intercedi non poteſt. Cùm vniuerſo pondere incubuit, nullo genere homines atrociùs moriuntur, ſed nec diutiùs: inde eſt quòd nec viuere nec mori volunt: vitæ illos odium tenet, timor mortis, qui quoties mentem percutit, palpitantibus præcordiis vivitur, maximè ſi climactericus annus, ſapienti nequic-

nequicquam formidabilis. Quanta ſenem circumueniunt incommodā! tunc enim floret amygdalus, impinguatur locuſta, diſſipatur capparis; mors illi eſt requies, vivere pœna gravis. Siccum & vacuum cerebro caput, ſubiectas partes humoribus obruit, tentatur & vertigine, quæ vt præit apoplexiam, ita hæc ſi ſoluatur, ferè in paralyſim deſinit. En ſenibus vitæ portio quanta manet! hebeſcunt ſenſus, cum voce trementia labra, in facie pallor, madidique infantia naſi, ſi libros repetit, duplex ſe littera findit; eripitur ſine nocte dies, niſi ſuccurrant oculi vitrei; præmoritur odoratus, auditus, inceſſus, exangui & funereo. Euclioni dentes ſuis excuſſi alveolis balbutiem pariunt. Thoracem quatit prava tuſſis, vt & Suſpirium, non minùs æquè quàm Philoſophia, meditatio mortis nuncupandum: renes & eorum ductus carnifex calculus, veſicam dyſuria (quæ ſi contumax fuerit, ſola ſectione ad perinæum curabilis) artus διάθεσις ῥευματώδης articuſos lapidoſa chiragra, nodoſa podagra; imò interdum aſſiduo ægrorum cruciatu πανάγρα Si ſanguis copioſus Cor obruat, fit Syncope cardiaca veterum à qua ſubitò ſuffocatur animal, eodem modo quo Apoplectici: iſtam nulla valet Medicina repellere peſtem, nequidem ipſæ artes Dardaniæ: imò nec ipſa Salus ſi cupiat: Etiam gelidus ſanguis cutem vrit prurit, & maligna impetigine: totum denique corpus non an-

antè torqueri deſinit, quàm dolore ſenſum doloris amiſerit. Hæ ſunt primitiæ mortis, ſic illis defluit ætas, queis pœna eſt totum quod viuunt. Accedit omni membrorum damno major dementia: nam ſenibus exprobratur infantia, quaſi pars ſumma vitæ ipſius fæx ſit: pauci quippe ſunt qui cùm ſentiant ætatis iniuriam in corpore, non ſentiant in animo, vixque tum mentis oculus acutè cernit, cùm corporeus defloreſcit: at certè multis iners vita ſine vſu jacet ſui: ita ut ſibi ſint odio, cæteris graves, túmq; nihil optabilius, quàm quæ eſt in propinquo Mors, omnium dolorum & ſolutio & finis, vltra quam mala noſtra non exeunt; optimum Naturæ inventum, vnica tot ærumnarum clauſula, & vltima vitæ linea. Ita naſcentes morimur, finiſque ab origine pendet.

Ergo totus Homo eſt à Natura mortuus,
Proponebat Lutetiæ Paulus Courtois, Meldenſis.

A Monſieur,

Monſieur *BEVEROVICIVS.*

MONSIEUR,

POur ſatiſfaire à ma parole, & à voſtre curioſité, j' ay faict chercher par tout, de la poudre de ſympathie, ſans en avoir peu rencontrer. Ceux, qui en avoyent, l' ont diſtribuè a leurs amis: à ce defaut,

defaut, je vous envoye la methode d'appliquer, & de faire la dicte poudre. Ie croy, que vous en trouverez la compoſition fort facile. Si d'avonture, vous rencontrez quelque difficulte, ou en la compoſition, ou en l'application faictes le moy ſcavoir, ie vous en feray eclairſis. Si vous trouvez par experience qu'elle aye la vertu, qu'on luy attribue, ie vous prie de m'en faire part, & vous obligerez celuy, qui eſt paſſionnement,

Monſieur,

Voſtre tres humble ſerviteur,
LOUIS *de* NASSAU.

de la Haye 14.
du mois.

Pour penſer les Player par Sympathie.

IL faut avoir un neuf morceau de Linge, de la grandeur, de la playe, que vous ferez tremper dans le ſang dernier, tirè de la dicte playe, que tiendrez entre vos doigts, puis mettrez un autre linge ſur la playe, avec une compreſſe, faiſant bien reioindre les levres de la dicte playe avec une bande, & ſ'il arrive, qu'il y ayt hemorrhagie, penſerez promptement le linge, que tenez trempe du ſang entre vos doigts avec les poudres cy apres ſuyvantes, & ſi l'hemorrhagie continue, on prendra un linge, que l'on ſuppoudra de laditte poudre,

poudre, & un autre linge par deſſus, que le poudre ſoit au milieu, & l' appliquer ſur l' hemorrhagie, Il l' arreſtera.

S' il arrive une inflammation, ou commencement de Gangrene, faudra prendre le linge, qu' aurez pensè avec la poudre, & le mettrez en lieu frais, comme en la cave, ou bien avoir une boëte, & la bien fermer, & avoir un plat plein d' eau, & ferez tremper la boëte iuſques a ce, que l' inflammation ſoit paſsèe, & gardez le linge ſur vous au meſme degrè des chaleur, que voulez tenir la playe. On peut frotter la playe d' une couenne de lard. Comme il y à de des ſortes de playes, il y a auſſi deux ſortes de poudre. L' une ſimple, l' autre composèe.

La ſimple ſe faict avec la Couperoſe verte, qu' il faut mettre au Soleil, iuſques à ce quelle devienne blanche, & la mettrez en poudre ſubtile, & conſerverez pour en uſer au beſoing.

La composèe ſe faict avec parties egales de la poudre cy deſſus, & de la gomme de Dragant, meſlez enſemble, excepte ſ' il y avoit grand fracas, alors il faut plus de Gomme, que d' autre, & penſer les playes comme deſſus. On peut Seigner, appliquer cataplaſmes, faire des imbrocations, & traitter comme on traicte les autres playes.

Le Linge eſtant trempè du Sang, & penſè, le faut tenir en lieu, ou il n'y a point d'air, le plier dans du papier, ou dans une bouteille ou dans une boëte, c'eſt la meſme choſe, & le porter dans la pochette.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ENCOMIA MEDICINÆ.

Johannis Beverovicii,
Deſ. Eraſmi Roterodami,
Hieronymi Cardani,

Nec non

Philippi Melanchthoni.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ROTERODAMI,
Excudebat RUDOLPHUS à NUYSSEL.
CIↄ IↄC LXV.

Digitized by Google

Te facimus MEDICINA Deam,
Cœloque locamus,

Et nomen numenque tuum celebramus,
& artem.

Digitized by Google

Clariſſimo, & incomparabili viro

D. GERARDO JOHANNI VOSSIO.

Hiſtoriarum Profeſſori,

JOH. BEVEROVICIUS, S. D.

CLariſſime Domine, Medicinæ encomium, quod adoleſcentulus olim (ne cui forte videar ornando ſpartam meam memetipſum voluiſſe extollere) cum te authore ei ſtudio operam dicarem, quo mihi ipſi magis allubeſceret, conſcripſeram, aliud agenti cum nuper in manus incidiſſet, viſum fuit iſtud perlegendo recenſere, quædam addere, & illa expungere, quæ Eraſmus, Melanchthon, aut Cardanus in ſuis Encomiis commemoraverant, memor ſcilicet, ejus Syneſiani, quod alicubi citas, ἀσεβέςερον εἶναι ἀποθανόντων λόγους κλέπτειν ἢ θοιμάτια ὃ καλεῖται τυμβωρυχεῖν, *nonnulla etiam corrigere, ſed pauca. Si enim omnia voluiſſem ad amuſſim revocare, præſtitiſſet profecto, quod ſcri-*

bit

bit Plutarchus feciſſe Philoxenum in libro ſibi ad emendandum dato, εὐθὺς ἀπὸ τῆς ἀρχῆς ὅλον μέχρι τῆς κορωνίδος περιέγραψε, *ſive, una ſitura emendaſſe, ut loquitur Martialis. Quandoquidem verò, ut ait Pindarus,* ἀρχομένου ἔργου χρὴ θέμεν τηλαυγὲς πρόσωπον, *non ingratum opinor habebis, ſi tirocinium hoc te duce natum, clariſſimo nomini tuo gratius inſcribere volui. Tu enim me non tantum prudenti, & ſalutari conſilio adhortatus es ad autem hanc, non minus, quam aliam quam libet,* ἀνδρὶ ἐλευθέρῳ πρέπουσαν, *& prærogativa peculiari* πρόχειρον ἔχουσαν τὴν χρῆσιν, καὶ διαρκῆ τὸν πόρον: *Verum etiam tot annis, queis ſub contubernio, & diſciplina tua vixi, ita de me es meritus, ut mortalium ſim ingratiſſimus (quales non paucos eſſe, qui pro beneficio maleficium rependunt, ſæpius te conqueſtum audivi) niſi omnia me tibi debere lubens confiterer. Te veneror, meum & Muſarum dulce decus, hunc mihi affectum proprium ſerves, uti tibi voveo* τὴν πρεσβύτην μακαρίαν Ὑγίειαν *cujus dotes hic laudamus. Dordrechti* 12. *Kal. Majas* 1633.

Τῷ

Τῷ αὐτῷ Βοσσιάδῃ, τῷ πάνυ.

Βοσσιάδη περίπυστε, τετιμένε πᾶσι θεοῖσι.
  Πᾶσι βροτοῖς θείης θαῦμα δαημοσύνης.
Δέχνυσ' εὐμενέως φίλ' ὅ σοι πρὸς ἄργμα μαθητής.
  Ἄρχοντι σοφίης θῦσεν ἀπαρχόμενος.

Muſis amice, Dis & omnibus, Voßi.
  Mortalibuſque ſeculi, ſtupor noſtri,
Sumas benignus, principi eruditorum,
  Quos fructuum offert principes Bevervicus.

AD LECTOREM

Ἑξάστιχον.

Ἰητρὸν πολλῶν ἀντάξιον ἔμμεναι ἄλλων,
  Ἤειδεν μέλψει Μοῦσα Μελησιγένους.
Τιμῆσαι κέλεται θεὸς ἄμβροτος ἰητῆρα,
  Αὐτὸς ὁ χάρμα βροτοῖς δοὺς μέγ', ἀκεστορίην.
Αἰτίη οὐκρυπτὴ ἀλλ' εἰ σοὶ φαίνεται εἶναι
  Κρυπτή, εἰ φανερὴν ξεῖνε φανοῦσι λόγοις

Idem Latinè.

Pluribus eſt aliis Medicus præſtantior unus:
Ipſa Meleſigenis carmine Muſa canit.
Quin & honorandum divino præcipit ore,
Ipſe ſalutiferam qui dedit artis opem.
In promptu cauſſa eſt: tibi ſi minus illa patebit,
Hac lege, & in promptu jam tibi, lector, erit.

JOH.

JOH. BEVEROVICII,
MEDICINÆ ENCOMIUM.

QUam plurimos videre eſt acumine ingenii, & facundiæ ubertate præſtantes, dum utriuſque ſpecimen edere, & quantum dicendi facultate valeant, oſtentare cupiunt, res abjectas, humiles, illaudatas, perinde ut magnas & laudabiles efferre, ſummiſque extollere laudum præconiis. Ita comæ, teredinis, Therſitæ, febris quarto die recurrentis, calvitiei, podagræ, anſeris, umbræ, canis, & quorum non? laudes varii ſcripſere: muſcæ denique Lucianus, qui parum abeſt, quin ex muſcâ, quod proverbio dicitur, faciat elephantum. Sed omnium, ut ſolet, elegantiſſimè, & mirâ venuſtate Aſini encomium nuper edolavit, equeſtris illud & literari ordinis immortale decus, *DANIEL HEINSIUS*, in quo non minus urbanè, quam prudenter, quorundam ridet ignaviam, quibus cum elephantinum, vel aſininum potius corium Fortunæ cæcum numen purpurâ tinxerit, literarum & literatorum contemptum præ ſe ferunt, eoque nomine ſe ſolidè beatos, & ſapere pluſquam Thalem exiſtimant: Non difficile quidem fuit viris

viris ingenioſiſſimis materiæ ſterilitatem ſuperare ſecunditate ingenii & doctrinæ: mihi verò cum non liceat eſſe tam diſerto, quod ingenio & induſtriæ deeſt, à materia quæram, & utriuſque inopiam ex Medicinæ copiâ ſupplere conabor. Latiſſimus hic dicendi campus, in quo unde incipias plurimum, ubi deſinas vix quicquam reperire ſit. Tot ſiquidem de Medicinæ dicturo laudibus ſe offerunt excellentium virorum teſtimonia, tot rationum momenta, tam immenſus demonſtrationum oceanus, ut ſi ſingula, aut pręcipua ſaltem referre vellem, vox & tempus mihi citius, quam oratio deficeret. Quare animus eſt leviter pleraque tranſire, ac tantummodo perſtringere, ut ex ungue quod dicitur, leonem ſit cognoſcere & è paucis, quæ ex ubere penu depromam, de reliquis conjecturam facere: ne forte diſciplinæ, quam non ingenio, quod ſentio quam ſit exiguum, ſed veritati confiſus, laudare aggredior, dignitas infantię meę culpa deteratur.

MEDICINAM elegantis Philoſophię apud Romanos parens M. Tullius cooptat artibus honeſtis, quibus prudentia major ineſt, aut non mediocris utilitas quęritur. Eam ſapientiſſimus Seneca ponit inter artes liberaliſſimas: Plutarchus earum nulli elegantiâ, ſplendore, jucunditate cedere affirmat: Lucianus cæteris eſſe honoratiorem. Hippocrates, artium omnium nobiliſſimam prædicat, & majorum inſtitutis dignam eſſe judicatam,

dicatam,quæ Deo adſcriberetur. Ita & Poëtæ, qui principia fingendi plurimum è vero trahunt,ut artis originem cælo dicarent, eius inventores Dijs aſsignarunt quod poſtea detracto figmentorum involucro à Philoſophis non obſcurè confirmatum eſt. Certè ſi hoc proprium eſt Deorum immortalium,vt proſint mortalibus, quis non concedat hos ſingulari Deorum benignitate obtinuiſſe artem illam,qua nunquam carere potuerunt? Mane meridie, noctuque bene valere ſemper neceſſarium eſt,ait Lucianus.

Hæc neceſsitas documento eſſe poteſt artem, quæ valetudinem curat, non modo eſſe artium omnium antiquiſsimam, ſed cum ipſis pœnè hominibus natam. Veriſsimum enim eſt,quod naturæ genius Ariſtoteles literis conſignavit, artium illas primas inventas eſſe, quarum operâ homines minimè carere poterant: cæteras, quæ vel ad voluptatem, vel ad ornatum, vel ad contemplationem potius,quam vitæ neceſsitatem pertinent,per otium deinde fuiſſe excogitatas. Humani autem corporis conſtitutio ſtatim poſt lapſum infirma, fragilis, & multis morborum cauſsis, quas vitare nequeat, expoſita. Quis igitur in dubium vocet primos mortales, cum paſsim viderent ſe macie & nova febrium cohorte obrui: cum viderent actiones nobiliſsimas,ad quas ſe natos noverant,morbis & ægritudinibus impediri, quis, inquam,dubitet, homines, quos ob inquirendi & inveſtigandi ſa-

gacitatem ἀλφηςὰς poëtæ vocant, non relictis alijs omnibus, inveſtigaſſe, votiſque omnibus à Deorum numine experijſſe artem illam, quâ mentem ſanam in ſano corpore tueri, vitamque beatam, & à morborum cruciatu liberam traducere poſſent? Niſi fortè credere velimus homines divina mente, & conſilio præditos, omiſſa languidi corporis cura, poſthabitis ægritudinum tormentis, omnem operam, curam, ſollicitudinem impendiſſe Grammaticis, Muſicis, Logicis, Legibus? pœne ſuffocatum ab angina de alio potiùs cogitaſſe, quam de remedio? Demoſthenes certe, fruſtra adverſarijs ἀργυράγχην obijcientibus, ne cauſſam, quam pridie agere inceperat, abſolveret, ab angina cauſſam reperit, & quidem argentea. Sed ne longo circuitu manifeſta probentur; perſuadent rationes, & S. Scripturæ confirmat authoritas, Adamum primum hominem primum exercuiſſe Medicinam. Quod ipſum non Hebræos modo Theologos, ſed Arabas quoque aſſerere teſtatur Ficinus. Quorſum enim à Deo Opt. Max. omnifaria rerum cognitione inſtructus, niſi ut utilia perſequeretur; nocitura fugeret, ſuumque corpus à morbis, quibus id peccando reddiderat obnoxium, liberaret? Ab hoc humani generis & Medicinæ parente ars ad poſteros, veluti per manus tradita, pervenit; unde vetuſtiſsima in libris Moſis, Salomonis, Paralipomenis, Hebræorum Medicorum mentio. Ab his paulatim in reliquas Orientis

rientis regiones propagata, Ægyptum præcipuè quæ & ab Homero medicamentorum feraciſsima celebratur. Ægyptij certè (quos hominum ſapientiſsimos & antiquiſsimos putavit Herodotus) ut Medicinam, ſic inter alia & circumſionem Hebræis debent, quamvis primos apellas eos fuiſſe author ſit Diodorus. Antiquiſsima tamen hæc, ut & Medicina apud Ægyptios, quippe quos edoctos legamus à Iaccheno Medico accenſis ignibus depellere peſtem. Qui Iacchenus vixiſſe traditur circa annum à diluvio ducenteſimum & ſeptuageſimum. Poſt hunc Oſiris,& huius atque Iſidis filius Orus, quem eundem cum Apolline faciunt, alijque Medicæ artis fama celebres in Ægypto floruere, tanto numero, ut Plutarchus, poſt Homerum,& Platonem,ſcribere non dubitaverit, Ægyptios omnes haberi pro Medicis. Certe Plato ipſe in Ægyptum profectus, cum ibi morbo corriperetur, à ſacerdotibus fuit curatus marina lotione. Vnde natus verſiculus:

Θάλασσα κλύζει πάντα τ᾽ ἀνθρώπων κακά.

Mare univerſa proluit hominum mala.

Refert Herodotus in hac gente ſingulos morbos ſuos habuiſſe peculiares Medicos: & apud eundem legitur, Cyrum Perſarum monarcham petijſſe ab Amaſi Ægyptiorum rege, ut optimus ſibi oculorum Medicus mitteretur. Orus Apollo Ægyptius artem, quàm a parentibus acceperat, ingeniorum ac diſciplinarum altrici Græciæ primus intuliſſe

perhibetur, cui idcirco inventio eius à Platone aliiſque aſsignatur; vnde ipſe apud Ovid.

Inventum Medicina meum eſt; opiferque per orbem
Dicor; & herbarum ſubjecta potentia nobis.

Apollinem patrem imberbem, ſequutus eſt barbatus, (vt de eo jocari Dionyſius ſolebat) filius Æſculapius, quem Mercurius Triſmegiſtus Ægyptium, ut patrem, fuiſſe aſſerit. Hic apud Græcos, Galeno & Celſo teſtibus, vetuſtiſſimus Medicinæ auctor celebratur. Qui quoniam adhuc rudem & vulgarem hanc ſcientiam paulò ſubtilius excoluit, in Deorum numerum poſt patrem receptus eſt. Huius tanta fuit medendi ſcientia, ut mortuos in vitam revocaſſe credatur. De Hippolyto id narrant, Plinius, Plutarchus, Lactantius, Ovidius: de Androgeone Propertius his verſibus,

Et Deus extinctum Creſſis Epidaurius herbis
Reſtituit patriis Androgeona focis.

Sed hanc ob cauſſam Æſculapium fulmine ictum Virgilius, & Plinius prodidere, ne ſcilicet fatalis rerum ordo interrumperetur. unde Ovidius.

Iupiter exemplum veritus, dixerit in illum
Fulmina, qui nimiam noverat artis opem.

Plato tamen ex Pindaro & Tragicis refert, ideo fulmine percuſſum, quod divitem, & improbum, morti jam vicinum, ſanitati reſtituiſſet. Ipſum verò non fulmine, ſed cauſo, febre ve ardenti correptũ, velut igne cœlitus demiſſo, conflagraſſe ingenioſe

ſè interpretatur Bocatius. Quicquid ſit, nec vita functum veneratio defecit, quam auxerunt nocturnæ ægrorum in eius templo incubationes; quaſi, inquit, Cicero, Æſculapius per ſomnium curationem valetudinis præ criberet. Teſtes huius cultus antiquæ inſcriptiones, tum Plutus ille Ariſtophanis, qui cæcus in Æſculapij æde cubans viſum recepiſſe narratur. Meliori fortuna, quam Plautinus leno, qui in fano eius fruſtra ſe dormiviſſe conqueritur: at æquum erat caſtiſſimæ artis præſidem parum propitium eſſe proſtitutæ pudoris homini. Æſculapij in medendo peritiam laudat Homerus, cum eum vocat:

Χάρμα μέγ' ἀνθρώποισι κακῶν θελκτῆρ' ὀδυνάων,
Gaudium magnum hominibus, malorum delinitorem dolorum.

Fuſius vero artes eius celebrantur à Pindaro III. Pyth. vbi & cum Ovidio, & Apollodoro Chironis diſcipulum facit. Fuit hic Chiron centaurus Theſſalus, Achillis, Herculis, & Iaſonis in medendo præceptor, in quo tantum emicuit medendi ſollertia, vt

πάντων ἰατρὸς τῶν ἐν οὐρανῷ θεῶν,
Omnium Medicus in cœlo deorum,

Homero, Luciano, alijs ſit habitus, multis etiam medicinæ inventor. Sed in hoc mirum, quam varient veteres. Nam Ægyptij artis noſtræ repertorem ſtatuunt Mercurium, vel Iſidem, vel Apin, regem ſuum, vt videre eſt apud Diodorum. Alij, teſte

 Plinio,

Plinio, Arabium Apollinis filium, Æſchylus denique Prometheum. Sed quod ſinguli, novi quid, humano generi ſalutaris repererint, grata poſteritas, eos, tanquam univerſæ artis inventores, celebravit. Porro fuere Æſculapio duo filij paternæ avitæque diſciplinæ hæredes, Podalirius & Machaon, ijdem & belli duces, & Medici, vt ex Homero patet:

Τῶν αὖθ' ἡγείθην Ἀσκληπιοῦ δύο παῖδε,
Ἰητῆρ' ἀγαθὼ Ποδαλείριος ἠδὲ Μαχάων
Quos duo ducebant fratres, Phœbique nepotes,
Matre Coronide, præſtantes arte medendi,
Belligerique ambo, Podalirius atque Machaon.

Hi bello Troiano ducem Agamemnonem ſequuti, non mediocrem opem ſuis commilitonibus attulerunt tam medendo, quam pugnando. Machaoni ſucceſsit filius Nicomachus, ex quo (auctore Suida) progenitus eſt Nicomachus, pater Ariſtotelis philoſophi. Decimus quartus ab Æſculapio fuit Nebrus, clariſsimus Aſclepiadarum, cui filius Gnoſidicus, quem librum ſcripſiſſe de membris, fracturis, & articulis, ex quorundam ſententia memoriæ prodidit Galenus. Gnoſidicus filium habuit Hippocratem, & hic Heraclidem, qui pater Hippocratis, vere Medicorum principis, cum fallere nec ſalli, ſi Macrobio fides, nequiverit. Ita vt non immerito eius meritis *ἀντίστροφον* hoc Epigramma ſit ſcriptum:

Ἱππο-

Ἱπποκράτης φάος ἦν μερόπων, ᾧ σώετο λαῶν
Ἔθνεα καὶ νεκύων ἦν σπάνις εἰν αἴδῃ
Lux hominum Hippocrates, dum gentibus ille medetur,
Copia per Stygias rara petivit aquas.

Non ἀτόπως iam dictis coronidem imponere poſſe videor Sorani elogio, Apollinem quidem Medicinam inveniſſe, Æſculapium amplificaſſe, Hippocratem perfeciſſe. Reliquit hic duos filios Theſſalum, & Draconem, qua patris gloria, qua ſuis meritis longe clariſsimos. His authoribus Salutaris nobis iſta profeſsio increvit. Qui tamen in vulgus eam promiſcue non extulerunt; ſed velut in cenſu reponentes, ad liberos hæreditario iure tranſmiſerunt; quaſi artis divinæ vſum hominibus aliter impertiri nefas eſſet. Hæc in nobiliſsima Aſclepiadarum familia annos mille, & ducentos permanſit, eorumque propagata ſtudio, non modo Græciam, ſed univerſum terrarum orbem divinitatis ſuæ radijs illuſtravit.

Atque ob illam ipſam neceſsitatem, qua primum humano generi Medicinæ ars parta &, vt Hippocrates docet, inventa, vbique etiam ab omnibus ſummo applauſu iam olim excepta. Referunt id de veteribus Maximus Tyrius, Plutarchus; & Servius; nominatum de Babylonijs Herodotus, de Aſſyrijs, item de Callaicis. Aſturibus, & Cantabris, Hiſpania gentibus, nec non de Baſtetanis, Strabo, quas dicit vetuſto ritu Ægyptiorum ſolitos

fuiſſe ægros in compita deferre, & à prætereuntibus remedia ſciſcitari. Idem de veteribus Scotis teſtatur Boëthius. Qui igitur aut eodem morbo laboraverant, aut laborantem alium viderant, idem, quo ipſi fuerant, curati, medicamentum exhibebant. Ita qui carebant Medicis, Medicina carere non poterant. Quo etiam ſpectat, quod de Nomadibus prodidit Herodotus, eos filijs quadrimis venas temporum, aut verticis inurere, optimo contra defluentem è capite pituitam ſucceſſu. Sic adhuc in hodiernum diem vſtulationem illam ſine Medico adhibere ſolent Arabes, & Turcæ. Dolore enim capitis laborantes, vel defluxione in quamvis corporis partem, cutem vſtulant cum fomite aliquo, aut panno lineo incenſo, magnæque id eſſe efficaciæ obſervavit Bellonius. Solent eædem gentes & alijs vti, Medico inconſulto, remedijs. Quòd etiam ruſticis vbique terrarum ſolemne eſt. Vnde videre licet, apud agreſtes quoque homines neceſſitatem, Medicinæ locum facere. Et certe nulla regio eſt, nulla ætas, nullus hominum ordo, qui divinis huius artis facultatibus carere poſsit: cuius leges vt gentium omnium æquè communes, ita cunctis hominibus maxime ſalutares. His Imperatores, Reges, Principes, alijs ſoluti legibus, parent, aut certè non impunè refragantur. Has matri, quæ infanti mammam dat, matri, quæ peperit, antequam peperit, imò parentibus liberis operam daturis accuratè obſervandas, præter Medicos, Plutarchus,

Huartus,

Huartus,& nuper melioribus dubito argumentis, an verſibus demonſtravit Iac. Catſius; Eques, & Ordinum Bataviæ conſiliarius. Afferam huius rei, vnum, quod pro multis eſſe poteſt, exemplum. Cum aliquoties deliberatum eſſet de repudianda Catharina Medicæa, annos complures ſterili matrimonio Henrico Valeſio, poſtea Gallorum regi, juncta,& ob publicam pacem,quæ,regno ad alium ſtirpem delato,vacillare plerumque ſolet, tantum non res ſuas ſibi habere juberetur, commodiſſime, & veluti deus è machina adfuit clariſſimus medicus, Ioannes Fernelius, qui *quod à naturâ negatum eſſe videbatur* (Scævolæ Sanmarthani verba ſunt) *inviſam ſterilitatem à domo regiâ repulit, Valeſiumque nomen optata generoſæ prolis acceſſione propagandum curavit.* Cui igitur debuit regina hoc nomen? nonne Fernelio? cui rex ipſe uxorem, cui liberos? nonne Fernelio? cui florentiſſimum Galliæ regnum tres reges Franciſcum,Carolum,Henricum? nonne Fernelio? Digna hercle, illuſtriſſima gens Medicæorum, quæ originem Medico debere nomine & quinque pilularum inſignibus non obſcurè teſtatur,vt non ſolum Italorum ingenioſiſsimis dominetur, ſed artis Medicæ ope in regiæ dignitatis faſtigio conſervata potentiſsimos Europæ reges produxerit. O artem admirandam & imcomparabilem,cuius præſidio nondum nati, nondum geniti egemus! Natis & in lucem editis quid luce hâc in quâ ſpiramus, vivimus, & jucunda

da conſuetudine inter nos coniungimur, optabilius? quid vita ipſa cunctis mortalibus carius? Eam tamen quiſquis diu multumque cruciatur, morbiſque intabeſcit (quod Xerxi prudenter apud Herodotum inculcat Artabanus) cum morte commutare præoptat, exclamans cum Philoctete,

Heu quis ſalſis fluctibus mandet
Me ex ſublimi vertice ſaxi?
Iam iam abſumor, conficit animam
Vis vulneris, ulceris æſtus.

Non aliter, qui acutiſsimis doloribus torquetur, cum miſera Didone

Mortem orat, tædet cœli convexa tueri:

Cum in luctu atque miſerijs, vt ajebat Cæſar, mortem ærumnarum requiem ſperat. Quæ enim vitæ dulcedo, quis vſus illis, qui calculi doloribus lancinantur, quorum membra & articuli dolore velut equuleo diſtorquentur? quis non multò malit mori, quam tam miſerè vivere? Inter aſperrimos dolores, refert Plinius, haberi calculorũ cruciatus ex ſtillicidio veſicæ, proximum ſtomachi, tertium capitis; nec ob alios fere mortales ſibi mortem conſciviſſe. Ita Claudius quoque Imp. ſe ſtomachi dolore correptum de morte conſciſenda cogitaſſe faſſus eſt, vt narrat Suëtonius. Sunt tamen & plures, qui homines non è trivio ad voluntariam mortem adegere. Narrat Plinius Nepos ſummos viros, Corellium Rufum ob atrociſsimos dolores, qui pedibus ſolis prius inſederant, mox omnia membra

membra pervagabantur, & Silium Italicum, qui inſanabilis clavi tædio ad mortem irrevocabili conſtantia decucurrit, ſpontanea inedia vitam finiviſſe. O horrendam dolorum immanitatem, quæ in tanta mala miſeros præcipitat! Vidimus ipſi (horreſco referens) homines vitæ inculpatæ, nullius ſceleris ſibi conſcios, ne pœnam prævenisse putentur, è ſola melancholia alios ſe in aquas præcipitaſſe, alios gladio in viſcera adacto, aut gula laqueo fracta, morbi & vitæ finem inveniſſe: qui ſi Medicis commiſsi fuiſſent, potuerant vitam & ſalutem elleboro redimere. Non immorabor in commemoratione eorum, qui quod Medicus non eſſet adhibitus, vivi pro mortuis ſepulti, animam cum gemitu & eiulatu ſub terra miſerrimè effudere. De acutiſsimo philoſophorum Scoto, memoriæ proditum eſt, quod in ſepulchro, cui attonito morbo, quem Græco nomine Apoplexiam dicimus, percuſſus omnique ſenſu & motu privatus, pro mortuo traditus erat, excitatus poſtea, cum exitum nullum inveniret, ſaxo illiſerit: & ita violenta & indigna morte perijſſe poſtea compertum. Quot exempla referre poſſem de mulieribus ex vteri ſuffocatione pro mortuis habitis, ſepultis & verè tandem ſuffocatis? At hiſce malis medetur illa vitæ, illa ſalutis alma conſervatrix Medicina; illa ſolida confert mortalibus bona, ſine quibus reliqua omnia vix bona dici merentur.

valea

---- valeat poſſeſſor oportet,
Si comportatis rebus bene cogitat uti,
Sincerum eſt niſi vas, quodcumque infundis aceſ-ſit.

Darium potentiſſimum Monarcham ex luxato pede infirmum & dolentem non opes, non regna, ſed Democedis medici, & quidem captivi induſtria ſanavit. Alexandrum è Cydni fluminis refrigerio periculoſè laborantem, non pretioſiſſimæ Perſarum gazæ, quas alteri Dario eripuerat, ſed fidelis Philippus, & dignus tam confidente ægro medicus, medicata potione omnibus, præter ipſum, cuius periculo exhibebatur, ſuſpecta, ad priſtinam ſanitatem revocavit. vnde rectè Venuſinus poëta,

Non domus aut fundus, non æris acervus, & auri,
Aegroto domini deduxit corpore febres.

Et vt nec divitiæ, nec dignitates, nec alia, quæ maximo in pretio haberi ſolent, ſanum hominem reddere poſſunt: ita etiam earum poſſeſſio omnis, nec iucunda, nec vtilis ægrotanti. Quis enim vſus decumbenti, & nauſeanti omnifarij ciborum apparatus? quæ voluptas calculoſo, arthritico, aut alia corporis parte dolenti, ſi vaſis aureis, & argenteis ipſi miniſtretur? quis formoſæ vxorculæ vſus languenti marito? *Qui propter voluptates ſibi ipſis non imperant, ſed cupiditatibus ſuis aguntur, aut inclinantur, docendi ſunt, & admonendi,*

monendi, maximam ſui partem voluptates ex ipſo ſumere corpore. Et quemadmodum Spartani coquo acetum, & ſalem dantes, reliqua in ipſo, quod mactandum erat, animali iubebant quærere: ita in corpore eius, quod huic exhibetur, condimenta præcipua inſunt, ſi ſano ei exhibetur atque puro. Quod enim cibus potuſve aliquis dulcis eſt, quod pretioſus, id à ſua natura habet, & extra corpus fruentis. Suavis autem fit, & iucundus ita demum, ſi fruentis corpus ſecundum naturam affectum eo delectetur. Qui verò eum averſantur, aut ebrij vel ægroti ſunt, apud hos omnem ſuam gratiam venuſtatemque amittunt. Mox addit, ſicut comeſſatores ebrij in domum lugentium invadente, non lætitiam, aut delectationem afferunt, ſed fletus excitant: ita venus, obſonia, balneum, vinum, corpori adhibita contra naturam affecto, pituitam bilemve concitare, tumultuque illato etiam ſanas adhuc partes corrumpere; ſperatæ autem voluptatis & delectationis conferre nihil. Cum igitur nihil in hac vita dulce poſſit eſſe abſque ſanitate, cumque non vivere, ſed valere, vera ſit vita, liquet vitam nec iucundam, nec vitalem, vt loquitur Ennius, eſſe poſſe, vbi ſanitas non adeſt, ideoque hanc rebus omnibus præferendam. Non fugit hoc Pyrrhum magnum Epiri regem, quem literis proditum eſt, cum immolaturus templa inviſeret, non regni ampliorem modum, non de

de hoſte victoriam inſignem, neque item gloriam illuſtriorem, aut maiores divitias, aliave, quibus plerique mortalium attoniti inhiant, ſed ſanitatem à Dijs immortalibus comprecari ſolitum fuiſſe; ceu parte hac beneconſtituta proſperius ceſſura viderentur omnia.

Si ventri benè, ſi lateri eſt, pedibuſque tuis, nil
Divitiæ poterunt regales addere maius.

Hæc etiam movere ſapientiſsimum Pythagoram, ne alia vteretur in epiſtolis ſalutatione, quam vt iuberet amicos bene valere: quod etiam apud Latinos obſervatum, ex epiſtolis Ciceronis, & aliorum liquet. Sed vbi rerum teſtimonia adſunt, non opus eſt verbis, cum nemo inficias ire auſit, aliud ſibi ſanitate gratius eſſe, aut iucundius. Quod ſi tam facile conceditur de proſpera corporis valetudine, tanto magis de animo confitendum: eoque maior & ſublimior, quæ vtrumque regit, moderatur, & conſervat, Medicinæ ars cenſeri debet. Ita natura comparatum eſt, vt corpus, & anima proportione quadam harmonica congruant, metuſque corporis in animam, ſicut & animæ in corpus facillime, & vehementiſsime penetrent. Refert Plato in Charmide, Magos illos animæ & corporis medicos, Xamolxidis, & Abaridis Hyperborei ſectatores arbitrari, omnia corporis & bona, & mala ab anima fluere in ipſum corpus, quemadmodum oculorum qualitas fluit à cerebro, cerebri à toto corpore. Atque vt impoſsibile eſt oculos curari, niſi

to-

totum corpus purgetur: ſic corpus ipſum, niſi anima bene valeat, non poſſe bene valere. Ita quoſdam ex gaudio, ira, mœrore, alijſque animi affectibus in graves corporis ægritudines incidiſſe, imo ex repentinis repente mortem obijſſe ab omni ævo obſervatum eſt. Nec minor corporis in animam poteſtas. Sic in Epilepſia, Apoplexia, Catalepſi, Lethargo, alijſque cerebrum, ſacram Palladis arcem, ſtupore infeſtantibus morbis: Sic in Phreniticis, Maniacis, Melancholicis, alijſque atra bile percitis, morbidum corpus animum in conſenſum trahit,

Atque affligit humo divinæ particulam auræ.

Quin etiam animi mores ſequi temperamentum corporis præter Ariſtotelem peculiari libello docuit Galenus. At eorum, quæ corporis temperiem mutare poſſunt, vires, & facultates conſiderat Medicus, ac proinde vt corporis, ſic & animi ac morum vitia corrigit, mentem acuit, memoriam confirmat, omnes denique animæ functiones alacriores reddit. An non igitur ſummè neceſſaria terrarum orbi medicina, quæ animal hoc Deo ſimillimum, (vt loquitur Mercurius Triſmegiſtus) quem vocamus hominem, tantis bonis ornat, tantis muneribus donat, à tot tantiſque malis & cruciatibus tuetur atque conſervat? Nec, vt iam dicere incepi, humani corporis, quod tum figura, tum partium commoditate reliquis præſtat animantibus, quæ Natura prona atque ventri obedientia finxit, tantummodò

tummodò valetudinem curat: ſed animi quoque incorruptibilis, & (cum Martiano dicam) æternitatis diademate coronati imperium, quod nobis cum Dijs commune voluit eſſe Salluſtius, propugnat, & ne corporis ſervitio cum belluis ſubijciatur, ſedulò & diligenter vitare docet, Lucret. lib. III.

---- mentem ſanari, corpus vt ægrum.
Et pariter flecti Medicina poſſe videmus.

Hinc ſcribit Theophraſtus, Herbas ad animum, & mores multā vim habere; & Galenus Theriacam non eſſe inefficacem ad animi prudentiam, acrimoniamque: corroborare enim ſenſus, mentemque vaporibus liberatam ſubtiliorem reddere. Quare Phœbus, vt teſtatur Hippocrates; animi & corporis curationem in vnum coire arbitrabatur. Quę etiam cauſſa cur apud Ægyptios atque Perſas ijdem ſacerdotes eſſent, & medici. Hinc etiam Carneades ſcripturus adverſus Zenonem, vt refert Agellius, vel diſputaturus adverſus Chryſippum, vt vult Valerius Maximus, ſuperiora corporis elleboro pugnavit, ne quid ex corruptis in Stomacho humoribus conſtantiam, vigoremque mentis labefaceret. Hoc eſt, quod ſcribit Plato, purgationes & pharmaces medicorum hoc vnum intendere, vt purum hominem & corpore & anima reddant. Si Cambyſi ſacro laboranti morbo, indeque turbato cerebro, fidus adfuiſſet medicus, non vſque ad fratris, ſororis, vxoris, & aliorum domeſti-

meſticorum cædem inſanivifſet. Si etiam Cæſari Caligulæ, corpore & mente valetudinario adhibitus fuiſſet Medicus, qui cerebrum, vt ipſum aliquando cogitaſſe ſcribit Suetonius, purgaſſet, non immani rabie efferatus ad venenorum & pugionum ſcrinia ſævijſſet. O mentis conſeruatrix Medicina, expultrixque furoris, quid non modo corpuſculum hoc, ſed animus, ſed vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? Tu humanum genus propagas, tu furibundos & inſanos ad bonam mentem revocas, depoſitos ſuſcipis & reſtituis. Ad te confugimꝰ, â te opem petimus, tibi nos, vxores, liberos, familiam penitus totamque tradimus. Omnes dies, quos bene & ex præceptis tuis agimus, fœliciter nos ad vitæ perducunt longinquitatem. Cuius igitur potius opibus vtamur, quam tuis? quæ & vitæ tranquillitatem nobis largiris, & ægritudinum mala aufers.

At Medicina quidem tantum abeſt, vt perinde, ac de hominum eſt vitâ merita, vbique laudetur, vt à pleriſque negleƈta, à multis etiam vituperetur. Negligunt, qui omnia fato regi, & morbos & ſanitatem fato dari ſtatuunt, quibus nihil intereſt, cui ſalutem & vitam, doƈto medico, an agyrtæ committant. Sed vituperare quiſquam vitæ parentem, & hoc parricidio ſe inquinare audet? & tam impiè ingratus eſſe, vt eam accuſet, quam vereri deberet, & cui fortaſſe vel inſcius vitam debet? Mihi certè ſæpius ſubijt mirari tantam nonnullorum

animis offuſam caliginem , vt Medicinam velut humano generi inutilem, Medicoſque, ſi Dijs placet, exterminandos ex hominum ſocietate, aut ad Garamantas & Indos relegandos eſſe contendant. Vt enim vaniſſimi de ſcientiarum vanitate ſcriptoris Cornelij Agrippæ vanitates omittamus: Ferdinandus Nonius Hiſpanus, & Michael Montanus Gallicus ſcriptor innumeris argumentis Medicinæ vſum & neceſſitatem impugnarunt, quibus vernacula lingua iam diu reſpondimus. Quod autem à multis obijcitur, Medicinam ſæpe à ſcopo aberrare, & non ſemper ægros ſanitati reſtituere, concludere, idcirco artem nullam Medicinam eſſe, merito abſurdum iudicatur Ciceroni. Neque ſucceſſus ſemper à medico pendet. Δεῖ δὲ (ut vere Hippocrates) οὐ μόνον ἑαυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιέοντα· ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τοὺς παρέοντας, καὶ τὰ ἔξωθεν. *Oportet autem Medicum non modo ſeipſum exhibere promptum ad ea, quæ decent, facienda, ſed & ægrum, & præſentes, & externa.* Patrocinatur nobis aureo ore Chryſoſtomus, cum 1. interpr. in Pſalm. VI. conſiderandum eſſe ſcribit in Medicina quinque adeſſe debere, medicum, artem ægrotum, morbum, vim medicamentorum; inter quæ, inquit, poteſt eſſe pugna, & conflictus, quo effectus impediatur. Nam ſi cum medico, arte, & medicamentis accedit etiam voluntas ęgroti, morbus vincitur: ſi autem cum illis ſtare in acie deſierit, ad infirmitatem ſeipſum reducit: interdum cum his

pugnat

pugnat natura imbecillis facta, & cum ars hæſitaverit, nec exitum invenerit, & vis medicamentorum aliquo modo effugerit, quamvis cum morbo & medicamentis ſtet æger. *Quod ſi etiam* (adeo ex Hippocrate) *probe quidem curet Medicus, morbi magnitudine ſuperetur æger, hæc Medici culpa non eſt*, nec etiam Medicinæ. *Non enim* ut idem alibi, *exigenda ab arte, quæ non profitetur. Quorum enim facultatem, tum per naturæ, tum per artium inſtrumenta conſequimur, eorum nos opifices profiteri poſſumus, aliorum non item. Si quid igitur homini contigerit, quod Medicinæ inſtrumenta ſuperet, id ne ſperandum quidem eſt ab arte Medica evinci poſſe. Quare ſi res Medico non ſuccedit pro animi ſententia, in morbi vehementiam remediorum vires ſuperantem, non in artem ipſam culpa reijcienda eſt.* Vnde optimè abdicatus apud Lucianum dicit, non rectè accuſari artis imbecillitatem, cum malum eſt inſanabile. Et eleganter Ovid.

Non eſt in Medico ſemper relevetur ut æger,
Interdum doctâ plus valet arte malum.
Afferat ipſe licet ſacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla vulnera cordis ope.

Nam profectò, inquit Iulius Scaliger, ne ipſa Natura quidem verus artifex videretur: quippe ſuo impedita fine nonnunquam aberrat, veluti cum aut monſtra componit, aut defecta edit corpora. Deſinant igitur calumniatores Medicos laceſſere, quod non ſemper ſcopum con-

ſequantur. Deſinant gigantum more cum Deo pugnare, qui Medicos honorari præcepit: & quorum artem ab altiſſimo creatam, ac à ſapiente non contemnendam in ſacro legant codice. Imo vel à beſtijs diſcant Medicinæ neceſſitatem, quas ſolo Naturæ inſtinctu ſibi ipſis mederi obſervabunt. Omni ſiquidem animantium generi, ut ait Cicero, eſt à natura tributum, ut ſe, vitam, corpuſque tueatur. Et alibi ſcribit, omne animal ſeipſum diligere, & ſimul ac ortum eſt, id agere, ut ſe conſervet, quod hic ei primus ad omnem vitam tuendam appetitus à natura detur, ſe ut conſervet, atque ita ſit affectum, ut optime ſecundum naturam affectum eſſe poſſit. Quare idem alio loco notat, ſimul atque natum ſit animal, ipſum ſibi conciliari & commendari ad ea, quæ conſervantia ſunt ſui ſtatus diligendæ, alienari autem ab interitu, iiſque rebus, quæ interitum videantur afferre. Hinc Teſtudines Origanum, Muſtelæ Rutam mandunt, ubi aliquid de ſerpente comederunt. Sues Cancros fluviatiles petunt, quorum eſu capitis dolori medentur. Felibus Calamintha remedio eſt, indeque à vernaculo earum nomine Cattaria vulgo apud nos dicta. Auditum eſt (inquit Cicero) Pantheras, quæ in Barbaria venenata, carne caperentur, remedium quoddam habere, quo cum eſſent uſæ non morerentur. Draco oculum obtuſe videntem Fœniculo compunctum acuit; ut Hirundo herba inde

dicta

dicta Chelidonio, ſive Hirundinaria. Vrſa cum primum ex antro ſuo prodit, Aro veſcitur agreſti; cujus acrimonia aperit inteſtinum ſuum concretum, Alioqui nauſea cum tentatur, ad Formicarum cavernam ſe confert, linguamque ſuam pinguem, & dulci ſucco mollitam exerens eis preponit, dum hæc formicarum fiat plena: quibus degluſitis juvatur Cervæ paullo ante partum perpurgant ſe quadam herbula, quæ Seſelis dicitur. Eædem in Creta inſula Dictamnum herbam monſtravere extrahendis ſagittis, percuſſæ eo telo, paſtuque eius herbæ eiecto, teſtibus Plinio, & Servio. Quod tamen Capris, & Capreis tribuunt Ariſtoteles, Theophraſtus, Cicero, Dioſcorides, Valerius Maximus, Plutarchus, nec non Virgilius XII. Æn. ubi plantam quoque deſcribit:

Hic Venus indigno nati concuſſa dolore,
Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab ida,
Puberibus caulem folijs, & flore comantem
Purpureo. non illa feris incognita capris
Gramina, cum tergo volucres heſere ſagittæ.

Idem percuſſi à phalangio, quod eſt aranei genus, aut aliquo ſimili, Cancros edendo ſibi medentur, ut ex Ariſtotele refert Plinius. Canes certa quadam herba (inquit Plutarchus, Gramen intellige) vellicantem bilem vomitu expurgant. At recentiores putant rationem vomitorii & purgantis pharmaci nos edoctos ab animali, quod Cœſari Vultur quadrupes appellatur; quia illus tantopere

ſe rapto expleat cadavere, ut inflatum, ac tympani modo extentum, ferre ulterius, quæ voravit, non poſſit; eoque ſubeat anguſtias rupium, vel alias, atque iſtic conſtrictum, & ore evomat, & poſtica parte emittat, quicquid oneri erat naturæ. Sed & volucris in Egypto, quæ Ibis appellatur, roſtri aduncitate marina aqua per eam partem ſe perluens, qua reddi ciborum onera maxime ſalubre eſt, Clyſterum uſum luculenter demonſtravit. Quod animadvertiſſe (inquit Plutarchus) & imitati dicuntur Ægyptij, & ſacerdotes eorum, cum ſe conſpergendo luſtrant, aqua ad hoc utuntur, è qua Ibis biberit: quod infectam, aut inſalubrem nullam hæc aquam tangat avis. In eadem Ægypto Hippopotamus in quadam medendi parte etiam magiſter extitit. Aſſidua nemque ſatietate obeſus exit in litus, recentes arundinum cæſuras ſpeculatus; atque ubi acutiſſimum videt ſtirpem, imprimens corpus, venam quandam in crure vulnerat, atque ita profluvio ſanguinis morbidum alias corpus exonerat, plagamque limo obducit, ut præter Plinium hodiernæ navigationes teſtantur; quod animal idem ſuo exemplo docet cum Hippocrate, pleniorem ſcilicet corporis habitudinem valde periculoſam, ac propterea haud cunctanter ſolvendam eſſe, unde Venæ ſectionis comprobatur neceſſitas. Sed & cibi abſtinentia (quæ Medicis pro remedio eſſe etiam ſolet) curantur nonnulla animalia. Sic

Lupi,

Lupi, ac Leones cum faſtidium carnium voracitate contraxerunt, aliquantum iacentes, & ſe calefacientes quieſcunt. Quod de Tigri etiam refert Plutarchus, lib. de ſolertia animalium, qui horum rationem reddit ſub finem Quæſtionum naturalium.

Hæc cum in Animantibus, quas nullius rationis participes agnoſcimus, obſerventur, ideone iſti ſe mente & ratione donatos putant, ut S. Scripturæ decretis repugnent, & hominibus perſuadere velint, Naturam, ſeu potius Deum, tot remedia fruſtra condidiſſe, aut hominem ad imaginem ſuam conditum, tot morborum tormentis, abſque ullo ſolatio aut levamine tradidiſſe? Quinetiam vel maximo neceſſitatis argumento illud ſit, quod hodie vix ulli reperiantur in quocunque mundi angulo, qui non medicarum rerum, medendique aliquam ſibi peritiam arrogent Quomodo enim alioqui omnes ad medendum adeò prompti eſſent, ſi non tacito naturæ impulſu propter uſum neceſſitatemque cogerentur de hâc re omnes ſolliciti eſſe? Adde quod ab omnis ævi memoria coli, ornari, exerceri metuerit hæc diſciplina ab hominibus tam animi, quam fortunæ bonis præcellentibus, principibus, regibus, imperatoribus, ſapiendi magiſtris. Ac ſapientiæ quidem profeſſores, quos Philoſophos poſtea appellare maluit Pythagoras, primi exercuere Medicinam, primoque, ut ſcribit Celſus, me-

dendi ſcientia ſapientiæ pars habebatur, ut & morborum curatio., & rerum naturæ contemplatio ſub ijſdem auctoribus nata ſit. Homerum quoque, quem omnis ſapientiæ fontem predicant, Medicinæ ſtudioſum fuiſſe author eſt Plutarchus: & alterum Poëtarum principem Virgilium omni ſtudio indulſiſſe Medicinæ, in eius vita Donatus memoriæ tradidit. Inter reges, & heroas Medicinæ peritos accepimus Iaſonem (παρὰ τὴν ἴασιν, à medendo appellatum) Siſyphum Herculem, Achillem, Hermetem, Zoroaſtrum, Chironem, Salomonem, Dionyſium Siculum, Ioſinam Scotum, & imperatores Adrianum, Antoninos, Conſtantinum IV. De Alexandro Magno refert Plutarchus eum non tantum huius artis, autore Ariſtotele, ſtudioſum fuiſſe, ſed amicis quoque feciſſe medicinam. Verum hos omnes ſuperavit ille rex poſt Alexandrum maximus, uti Ciceroni laudatur, Mithridates, qui omnium ante ſe genitorum diligentiſſimus vitæ fuiſſe, argumentis, præterquam fama, intelligitur, ut de eo Plinius. Hunc tanta negotiorum moles, tot regnorum imperium, tot bellorum, quæ cum Romanis omnium hoſtium maxima geſſit, ſollicitudines, à Medicinæ ſtudio avocare non potuerunt Tanti herois res geſtæ in hiſtorijs â paucis fortè leguntur: at ob inventionem antidotorum, ex quibus unum etiam

in

in hodiernum uſque diem nomen & famam eius præfert, omnium mortalium ubivis terrarum ore celebratur. Hic primus Sanguinem anatum Ponticarum (teſtibus Plinio, & Agellio) miſcuit antidotis, quoniam veneno viverent. Idem Mithridation herbam invenit. Eandem nominis immortalitatem, quam regna dare non potuiſſent, regibus dedere Herbæ, veluti Gentio Gentiana, Lyſimacho Lyſimachia, Artemiſiæ Manſoli, Cariæ regis uxori Artemiſia, Pharnaci Pharnaceon; Teucro Teucrion, aliæ alijs. Vt interim omittam Mercurium, Poeonem, Herculem, Chironem centaurum, Achillem. Æſculapium, à ſe inventis, & nominatis herbis notos. Quin & barbari reges Medicinam ſuis inventis excoluere, ut rex Medorum Sabor, cui multas medicamentorum formas apud Meſuen acceptas ferre debemus, quibus hodie fœliciter utimur Qui & ipſe Meſue, cujus libri in omnium manibus verſantur, Abdelæ regis Damaſci filius fuit. Arabum quoque rex Evax de ſimplicium effectibus ad Neronem ſcripſit. At univerſam Medicinam ſingulari operi (quod, niſi morte præventus fuiſſet πολυγλώττατος Erpenius, multo haberemus correctius) tractavit Avicenna Cordubæ princeps. Ac veluti artem medicam florentiſſimis populis, Philoſophis, viris principibus placuiſſe non ultima laus

laus eſt : ita certe major , etiam Dei angelis, qualis Tobiam docuit oculos patris curare felle piſcis , remedio & hodie uſitato , apud Ioannem Euang. angelus turbavit aquam , quam primus ingrediens â morbo liberabatur , ut omittam, S. Lucam euangeliſtam, apoſtolos & prophetas , alioſque viros ſanctiſſimos Medicinam profeſſos : ſed maxima gloria eſt , æternum patris filium hanc ſolam elegiſſe divinam artem, ut ſibi divinitatis eſſet teſtimonium. Potiſſimam enim vitæ partem, quam degit in terris, impendit infirmis , & infeſtiſſimos humani generis hoſtes , manias, epilepſias, paralyſes, cæcitates , dyſenterias propulſavit. Et ſunt, qui dulce nomen Ieſu, in quo omne genu flectitur, Græcis à medendo , appellatum velint.

Neque vero id tantum Medicinæ eſt, ſummis ipſa honoribus affici ; ſed alumnos ſuos ad ſummos honores & ampliſsimas dignitates evehere, non inanes illas ſine penu & pecunia, ut ait Plautus, ſed opimitate effertiſsimas. Quamvis vero ars ſit divinior, quam ut hujuſmodi rationibus æſtimetur, ideoque Hippocrates ad Abderitas ſcribat, nunquam ſe pro eius uſu mercedem accepiſſe, ut quæ ſit libera , Dearumque munus , quomodo & Apoſtoli quod gratis acceperant, gratis dabant & Auſonius medicus filij conſulis verſibus dicat,

Obtuli opem cunctis poſcentibus artis inemptæ,
Officiumq; meum cum pietate fuit :

non

non abhorret tamen prudens Medicus ſplendida deorum munera, quæ fumum de patrijs focis elevant, &, ne lar familiaris frigeat, prohibent. Dignus eſt operarius mercede ſua, ait os veritatis, cur igitur Medico pro tot curis, vigilijs, laboribus non ſit operæ pretium? Hoc autem ne mercenarius audiret, Honorem in epiſt. vocat Cicero, *Curio mihi, ut Medico honos haberetur* : quæ appellatio tum in alijs, tum in noſtra quoque lingua obtinuit. Vt jam etiam exempla aliquot ex antiqua, & recentiori hiſtoria afferam : Polycletes cum Phalaridem, tyrannum Agrygentinum, morbo graviſsimo laborantem, ſanitati priſtinæ reſtituiſſet, ab eo phialas quatuor accepit ex puro auro, crateras argenteos duos : poculorum item thericliorum paria decem, puellas intactas viginti millia, nec non alia quam plurima, ut videre eſt in Phalaridis ad medicum epiſtola. Oribaſius (Pergamenus, Eunapio, vel Sardianus, Suidæ) Iulianum Cæſarem ſequutus eſt in expeditionibus, eumque ad imperium evexit, à quo viciſsim quæſtor Conſtantinopoli creatus eſt. Sequuti imperatores, virtutibus tanti viri invidentes, omnia ei bona eripuerunt, & exilio multarunt. Oribaſius in hoſtilem terram expoſitus, edidit virtutis eximiæ ſpecimen, non locorum ſpatio definitæ, non domicilijs circumſcriptæ, ſed quæ animi conſtantiam, & firmitatem oſtendit, quæque per ſe ipſam actuoſa efficacitatem ſuam prodit,

dit, ubi tandem cunque extiterit; quemadmodum numeri ſolent, & artes Mathæmaticæ Statim namque apud Barbaros reges clarum conſequutus nomen, inter primores habitus eſt, excitato etiam in Romani imperij finibus ingenti ſui deſiderio : Barbaris ut numen quoddam eum colentibus, dum hos longis morbis implicitos ſervat, illos à mortis veſtibulo revocatos educit. Ita ut cum Themiſtocle exule, & luculenter à rege Perſarum excepto, dicere poterat, Perieram, niſi perijſſem. Sed prior calamitas illi cum Ioſepho, fortunarum, fœlicitatiſque omnis ianuam, & occaſionem aperuit. Nam imperatores repudiato conſilio, quod prius, oppugnando viro, male intenderant, eam ab exilio revocarunt, & priſtinis opibus ac honoribus reſtituerunt. Extat ejus elogium lib. 1. Anthologiæ:

Δίου Ὀρειβασίου, τὸν ἀθανάτην διὰ τέχνην
Πολλάκι δειμαίνουσα, μίτους ἀνεβάλλετο μοίρη.

Divi Oribaſij, quem immortalem propter artem
Sæpius reverita, vitas hominum remittebat Parca

Eraſiſtratus Cous, Plinio maximus Medicus, & Ariſtotelis è filia nepos, is qui ſe ab experimentis ἐμπειρα nominavit, à Ptolomæo ob Antigonum patrem ſanatum, talentis centum donatus eſt : & alios, Principes Romani, teſte Plinio, medicos celeberrimos, Caſſios, Calpitanos, Aruncios, Albutios, Rubrios, CCL. H. S. annua mercede conducebant. Q. Stertinius imputavit

tavit principibus, quod H. S. quingenis annuis contentus eſſet. Sexcena enim ſibi quæſtu Vrbis numeratis domibus oſtendebat. Par & fratri ejus merces à Claudio Cæſare infuſa eſt : cenſuſque quamvis exhauſti operis, Neapoli exornata, hæredi , H. S. ccc. reliquere, quantum ad eam ætatem Aruntius ſolus. Manlius Cornutus ex prætorijs legatus Aquitanicæ provinciæ H. S. cc. elocavit in curanda mentagra. Crinas Maſſilienſis, qui ſub Nerone vixit, H. S. centies reliquit muris patrię , mœnibus quoque alijs pœne non minori ſumma extructis. Hippocrates ingentibus muneribus à Perſarum rege Artaxerxe, ut & Aſclepiades à Mithridate Ponti rege fuit accercitus. Democedes Cratoniata,cum imperia imperioſi parentis ferre non poſsit Æginam profugit, ibique tanta famæ celebritate Medicinam exercuit, ut Ægimetæ eum talento retinuerint. Athenienſes deinde centum minas obtulerunt. Tandem ad Polycratem Samiorum tyrannum ſe contulit , affectus honorario duorum talentorum. Ad invidiam fœlix, niſi fortuna , malignitatis ſuæ memor , eum infœlici Polycratis fato involviſſet. Comprehenſum enim Orætes , Darij regis prafectus, cum reliquis captivis , in ſervitutem abduxit. Verum ſcientiæ fama non modo libertatem,ſed etiam honores aſſequutus,inſigni documento fuit,in opes animi nihil licere caſuum humanorum varietati.

Cum

Cum enim rex inter venandum, ex equo deſiliens, pedem luxaſſet, fruſtra tentantibus auxilium medicis, Democedem jam inter captivos agnitum, ſed ne hoſtem Græciæ ſervaret, artem ſtudioſe occultantem, vi tormentorum ad ſanandi curam adegerunt. Quod cum ex ſententia ſucceſsiſſet, eum Darius opibus auctum, & fortunis locupletatum in regia manere iuſsit, & menſæ ſuæ accumbere voluit. Id autem quanti fuerit, vel ex eo liceat æſtimare, quod ipſi quoque regni proceres à conſpectu regis arceantur, nec unquam niſi interpoſito velo menſę regiæ aſsidere illis liceat. Ita ut Democedi honorificentius haberi non potuerit. Ob eandem ſcientiam, ſcribit Plinius, Cleombroto Leo Ptolomæus rex Megalenſibus ſacris donavit C. talentis ſervato Antiocho rege. Quod autem Galenus refert, ſe, cum Boëtij uxorem ſanaſſet, quadringentis aureis donatum, minus mirum eſt, quam quod avorum memoria Thaddæus Florentinus, cum peregrè proficiſceretur, ſingulis diebus quinquaginta aureos acceperit, & Honorio pontifice curato decem aureorum millia reportaverit. Totidem ſingulis menſibus, pręter alia munera ſolviſſe Ludovicum XI. Galliarum regem Iacobo Cocterio Medico ſuo, narrat Cominæus. Ex ſolis lue Venereâ affectis Carpenſem inter alios & Capivaccium lucratos immane auri pondus cum legimus, miramur Rabeleſium ſcabioſos iſtos

appellaſſe

appellaſſe pretioſiſsimos? Non ita pridem Philippus II. rex Hiſp. à febre ſeptem dierum ſanatus, archiatro ſuo Franc. Valleſio, præter annuum ſtipendium, σώςρυ loco ſex aureorum millia miſit, quæ ille munera non ſpernens, venuſtè non dubitare ſe, inquit, quin tantus rex plura etiam, ſi velit, elargiri poſſet, ut verum ſit, quod vulgo dicitur, Dat Galenus opes, imo &, quas plerumque Iuſtinianus, honores. Recte Seneca, *Sicut Medicinæ apud ægros uſus, etiam apud ſanos honor eſt* Et profecto quis major honor eſſe poteſt, quam in deorum numerum referri. Sed omnis antiquitas apud Ægyptios, Græcos, aliaſque gentes medendi peritia de humano genere bene meritos poſt obitum pro dijs coluit. Scribit Strabo, Medicos in India poſt brachnas maximo eſſe in honore, & ab omnibus liberaliter excipi: etiam ex publico vivere apud Ægyptios teſtatur Diodorus. Hippocrati ad ſanandum Democritum Abderam vocato, univiverſa civitas obviam proceſsit, eumque patriæ ſervatorem patremque ſalutavit. Ei quoque à S. P. Q. Athenienſi ob liberatam peſte Græciam ludi decreti & magnis myſterijs, non ſecus ac Hercules Iovis filius, initiatus, ac corona aureâ donatus. Galenus apud Antoninos imperatores ſummo in honore fuit: quem poſt mortem pro deo cultum prodidit Euſebius. Romæ, tradente Suetonio, Iulius Cæſar omnes Medicinam profeſſos, quo luben-

lubentius & ipſi urbem incolerent, & cæteri appeterent, civitate donavit. Id autem rarum fuiſſe ſcribit Tacitus, nec niſi virtuti pretium. Hinc multos celebres viros artem Medicam tunc temporis excoluiſſe, & exornaſſe author eſt Zonaras. Antonio Muſæ, ob Auguſtum, ab ancipiti morbo curatum., Romani ſtatuam ære collato, iuxta ſignum Æſculapij ſtatuerunt, Suetonio, & Plinio teſtibus. En exiſtimarunt principes, eſſe è republica tales habere, quos ideo varijs privelegiis donarunt, ut teſtatur I. C. Tanta etiam Medicorum veneratio olim apud Locros, ut lege Zaleuci cautum fuerit, ſi quis ægrotans merum bibiſſet, niſi iubente Medico, etiamſi ad priſtinam valetudinem rediiſſet, mortis ſupplicio afficeretur, ut refert Ælianus. Sed ne veteribus commemorandis diutius inſiſtam, quanto Medici hodie in honore apud Anglos, Gallos, & Hiſpanos? quanto in matre ſtudiorum Italia; ubi multos equeſtri dignitate ornatos vidimus, ubi octo ad Genuenſis reip. principatum evectos fuiſſe annales teſtantur. Petrus Hiſpanus ſcriptis aliquot in Medicina clarus, ex Epiſcupo Tuſculano Pontifex Maximus creatus eſt, aſſumpto Ioannis XXI nomine: ad idem faſtigium è Medicina aſcendit Nicolaus V. ſummus renaſcentium in Italia literarum fautor & promotor: ut non neceſſe ſit Ludovicum Patriarcham Aquileienſem, nec Ioh. Vincentium,

tum, Montis regalis, Archiepiſcopum, hunc à Gregorio XV. illum ab Eugenio IV. in Cardinalium ordinem cooptatum, aut Paulum Iovium, medicum, & nobiliſſimum hiſtoriarum ſcriptorem epiſcopatu Nucerino, aut alios alijs dignitatibus condecoratos afferre. Sed nec apud Barbaros Medicis ſuus honos deeſt: cum nuper Turcarum Imperator Bartholomæum Cordum medicum, ſuo nomine, ad Henricum magnum Galliarum regem legatum miſerit: quod jam olim ad Coſroem Perſarum regem fecerat Imperator Iuſtinianus, teſte Procopio. Sed quid peregrinis immoror? Nonne in hac patria Præturas, Conſulatus, alioſque geri Magiſtratus à Medicis videmus? Inter Epiſtolas Caſſandri legimus duas ad Cornelium à Baerſdorp, Medicinę Doctorem, Equitem auratum, & inſignis urbis Brugenſis Conſulem. Et in hac ipſa civitate eos jam olim in Conſulum & Senatorum ordinem receptos, ex archivis liquet: quod majorum inſtitutum majoribus ſuis, viris conſularibus, digniſſimus, inter alia præclari Conſulatus facta nuper renovavit vir illuſtris *CORNELIVS* de *BEVEREN*, Eques, Strevelshouckij, auſtralis Iſelmondæ, De velſteinij toparcha, Senator & Quæſtor auſtralis Bataviæ, Academiæ Curator; egregius virtutis, & ingeniorum cenſor, & quamvis in maxima negotiorum mole, quibus in urbe, patria, nuper etiam

pro patria ad Britanniæ, & Daniæ reges, diſtrahitur, in omni diſciplinarum genere inſigniter eruditus. Nec eſt quod invidus quiſpiam, loliginis ſucco imbutus, nimia Medicis prœmia nimios Medicis honores decerni, obtrectare conetur. Dicam enim cum Seneca, quædam pluris eſſe, quam emuntur. Emis, inquit, à Medicis rem inæſtimabilem, vitam ac valetudinem bonam. Itaque his non rei pretium, ſed operæ ſolvitur; quod deſerviunt, quod à rebus ſuis avocati nobis vacant, mercedem non meriti, ſed occupationis ſuæ ferunt. Nullum ſiquidem prœmium cum vita, nullus honor cum ſalute comparandus. At iſta ſunt Medicorum munera, ipſis Deorum immortalium muneribus conferenda; munera non omnibus paſsim obvia, ſed quæ homines ingenioſi & induſtrij ab ipſis Dijs comparare ſibi ſolent.

Dij autem omnia, ut inquit ille, laboribus vendunt. Hiſce vel maximè opus ad Medicinam, & ad ea præſidia, quibus Medicina carere nequit. Qui, inquit Hippocrates, Medicinæ ſcientiam ſibi verè & aptè comparare volet, is horum omnium compos eſſe debet, ut naturam nactus ſit, doctrinam, locum ſtudijs aptum, inſtitutionem à puero, induſtriam & tempus. His inſtructos eſſe oportet, qui operam ſuam Medicinæ conſecrant, quique ſe ad medendi gloriam erigere conantur. In primis

verò

verò potens eſt natura. Pythagoras dicebat cibos in ſcaphio non eſſe ponendos: hoc eſt, in improbum animum doctos ſermones non eſſe immittendos: nam ſermo cogitationis cibus eſt, quem animus, ni probus ſit, ſordidum reddit. Adde quod naturâ repugnante, reliqua parum poſſint. Hinc recte poëta:

Tu nihil invita dices, facieſve Minerva.

Doctrina autem in Medico requiritur non vulgaris. Primum Linguarum cognitio. Et de Latina quidem ſilere pręſtat, quam pauca dicere. Græcâ abſque maximâ rerum ignoratione carere non poteſt: nam non ſolum artis principes Hippocrates & Galenus, hâc linguâ ſuos ingenij & induſtriæ fœtus poſteris reliquere; ſed etiam plantarum, morborum, remediorum, inſtrumentorum, ponderum, menſurarum innumera vocabula Græca ſunt: quę quum apud nos etiam recepta, circulatorum atque huius linguę imperitorum abuſu detrita corruptaque non intelligantur, non raro fit, ut indocti Medici potiones pro cataplaſmatis, venena pro medicamentis, in ægrorum perniciem adhibeant. Arabicæ linguę ad Arabum Medicorum, qui Gręcis non pauca addidere, ex puris potius fontibus, quam depravatis interpretum rivulis haurienda, ſcientiam Medico admodum neceſſariam eſſe poſt Erpenium luculenter oſtendit ille linguarum omnium, Matheſeos,

ac Medicinæ peritiſſimus *IACOBVS GOLIVS*, cui hæ diſciplinæ brevi plura debebunt. Quin & vulgares ſuæ ætatis linguas calere debet, ut diverſarum gentium ægrotos, velut alter Mithridates, alloqui propria lingua, & intelligere poſſit. Peregrinatio ad eas acquirendas commoda, nec non ad prudentiam, cujus non aliam cauſſam in Vlyſſe ſuo affert Homerus, quam quod multorum hominum urbes & mores vidiſſet. Eſt & peregrinatio ad herbarum cognitionem, cum non omnis ferat omnia tellus, Medico neceſſaria: ad morbos, qui regionibus nonnullis endemij & proprij. Sed ad praxin, vivam morborum cognitionem, & curationem oculis videndam, adeunda Italia, ut experientiſſimorum Medicorum ductu potius mederi diſcat, quam hominum periculis, & per mortes, ut ait Plinius, experimenta agat. Neque illa tot ſeculis Medicinæ ſtudio florens, tot Regiorum Medicorum nutrix Monſpelium prętereunda, non Lutetia tot illuſtrium Medicorum ſedes, non alia apta ſtudijs loca, unde opimis doctrinarum ſpolijs in patriam reverſus, ſibi & ſuis uſui & ornamento eſſe poſſit. Qui vero viſo Galliæ aut Angliæ fumo, unius literæ damno Medici titulum conſequuntur, & domum reduces nil niſi peregrinationes crepant, hos fumum mulierculis vendere, aut fulloniam diſcere iubemus. Neque multarum modo lingua-
rum,

rum, ſed & artium eſt hæc diſciplina. Aſtrologia huic neceſſaria, ut Medicus cœlorum & ſyderum converſiones, & quæ inde fluunt, dimanantque orbis inferioris moderatrices, nec non in morbis, præcipue epidemijs excitandis, mutandiſque, vires obſervare, & ex locis ac temporibus curandi indicationes elicere poſſit. Talem ex Ægyptiorum nomen clatura, qui Aſtrologiam Medicinæ ubique copularunt, Ptolomæu ἰατρομαθηματικὸν appellat. Ex Mathematicis diſciplinis etiam neceſſaria Arithmetica, quia ſæpe proportionibus utitur: item ad ineundam dierum criticorum rationem, horumque ſubducendum recte numerum. Geometria tum ad oſſium poſitus, inquit Hippocrates, & articulos ſuis ſedibus emotos, tum etiam ad reliquam morborum compoſitionem, nec non ad vulnerum differentiam, in quibus rotunda difficulter curantur. Rhetorica inſuper,quo mœſtos ægrotantes ſolari, timentes erigere, iratos placare, furentes coercere: ac flexanima illa dicendi facultate in ſuam ſententiam pertrahere, & præſcriptis morigeros reddere poſſit.

Hujus neceſsitatem extollit Gorgias apud Platonem. *Sæpe*, inquit, *cum fratre meo, alijſque medicis, ad aliquem ægrotantium ingreſſus, cum ille vel pharmacum nollet bibere, vel ſecandum urendumque ſe medico non permitteret, neque perſuaderi poſſet à Medico, ego perſuaſi non alia, quam Rhetoricæ facultate.*

Quo

Quo, addit, *magis aſſero, ſi quam urbem Rhetor acceſſerit, atque Medicus, certeturque inter eos verbis in concione, ne an Medicus, fore quidem ut Medicus quidem nuſquam appareat: elegatur autem, ſi modo velit, dicendi peritus.* Quare vult Plato IV. de Leg. prius docere Medicum, nec ante imperare, quam perſuaſerit. At hoc requirit apud eruditos non vulgariter eruditum. Exemplo ſit Ariſtoteles, cui cum Medicus ægrotanti quiddam injungerit: *Me*, inquit, *me cures vel ut bubulum, vel ut foſſorem, ſed prius cauſſam ediſſere. Sic enim facili perſuaſione me morigerum reddideris*, ut narrat, Ælian. 9. Var. Hoc verò ut decenter, & cum ratione fiat, Dialectica opus eſt. Nolumus tamen nec diſputantem apud ægros, nec adſtantibus objectiones moventibus anxie reſpondentem. Ad curandum enim vocatus eſt, non ad diſputandum. Pręclare ſæpius jam laudatus Plato IX. de Leg. *Illud ignorare non decet, quod ſi Medicus quiſpiam eorum, qui uſu quodam abſque ratione medentur, liberum Medicum philoſophiæque ſtudioſum ægrotanti libero colloquentem audiat, dum morbi initia ratione indagat, & de natura corporum diligentius diſſerit, ridebit protinus, & adverſus illum ea dicet, quæ hac in re plurimis Medicorum in promptu ſemper eſſe ſolent. Non mederis, inquiet, ô fatue ægrotanti; ſed quaſi doctrina indigeat, non ſanitate, doces.* At vel præcipuè requiritur naturalis Philoſophia, quę Medicinę princi-

principia de ſuo largitur, & tum admirabilem hominis fabricam, naturam, & corporis ex elementis compoſitionem explicat, tum animalium ſtirpiumque proprias vires inquirit. Quare recte dictum ab Ariſtotele: *Vbi deſinit phyſicus, ibi incipit medicus.* Moralis quoque ſive Ethica Medico neceſſaria, quod, ut diximus, arcta ſit corporis & animi ſocietas, & affectiones ſuas mutuò transfundant. Quamvis autem Hippocrates, ut ex Celſo retulimus, primus à philoſophandi ſtudio Medicinam ſejunxerit, alteram tamen alterius auxilio indigere tum ipſe, qui Medicum Philoſophum Deo ſimilem facit, tum alij celebres Medici ſuo exemplo comprobarunt. Ideoque eleganter à Democede, & Tertulliano Philoſophia Medicinę ſoror appellata eſt. Qui tot linguarum cognitione excultus, tot artium & diſciplinarum comitatu ſtipatus, nonne magnus vobis, & admirandus videtur? At iſta tantum introducunt ad Medicinam, ab judicij & experientię difficultatem indefeſſo adhuc labore comparandam; ut veriſſimum ſit Hippocratis oraculum, *Vita brevis, ars longa*. Huic ergò, qui omnes longę artis difficultates acris & ſubacti ingenij vigore ſuperavit, qui vitam prorogare poteſt hominibus, nimia poſſe prœmia, nimios honores tribui exiſtimatis? An potius laudandos cenſetis priſci ævi mortales, qui Medicos quaſi pro numinibus coluêre? Vitam & ani-

mam infundere Dei eſt immortalis. Vitam conſervare, & iam fugientem animam ſiſtere, nonne divinitati proximum cenſeri debet? Vnum pro multis exemplum afferam de Democrito, medendi peritiſsimo philoſopho. Hic, quum jam ex ſenio deficeret, & morti propinquus eſſet, mœrentem ſororem, quod illo in Cereris feſto moriente, ipſa Deæ vota exolvere nequiret, bono animo eſſe iuſsit, paniſque calidi, vel, ut alij volunt, mellis vapore naribus attracto, vivum ſe, dum Theſmophoria tranſirent, ſervavit. Ita quietiſsimè ac nullo dolore vitam, quam in gratiam ſororis triduum retinuerat, ætatis anno centeſimo & nono depoſuit. Talia quotidie præſtare Medicos in moribundis conſpicimus: iiſqe maiora, dum ſterilitatem abigunt, & naſci homines faciunt, quos Natura, ne naſcerentur, prohibuiſſe videbatur. Quinetiam Aſclepiadem è funere hominem retuliſſe, & conſervaſſe, tradit Plinius. Quæ artium ſuis cum tam divinæ artis facultatibus conferre, quæ cum aliis Medicinæ prærogativis ſe comparere auſit?

Quamvis vero ea, ex comparatione cum aliis laudem quærere non habeat opus, neque ex obtrectatione alienæ ſcientiæ ſibi gloriam & famam aucupari, non poſſum tamen omnia ſilentio tranſigere, quibus prœit alias multis paraſangis. Cum tria ſint, ut loquitur Plato, Anima, Corpus, Pecunia virtutem animi leges maxime anteponunt, ſecundo verò loco virtutem corporis virtuti animi ſervien-

vientem, tertio ultimoque gradu pecuniarum pretium collocant, animo corporique miniſtrans. Qui igitur animum, ſive mentem ſanam in ſano tuentur corpore, nonne præferendi illis, qui in foro litigant, aut quibus virtus poſt nummos. Qui Iuris ſtudio incumbunt, plerumque ad cauſſas agendas animum applicant, aut certe, ut nunc ſunt moroſi ſciolorum mores, inhiant dignitatibus: illud lentum fere negotium eſt, hoc non vulgare fautorum pondus requirit, ac ſi fallit, ut non raro ſolet, oleum, & operam perdidiſſe pœnitet. In Medicina vero non ſpes fallaces, non tarda ſtudiorum meſsis: ſed præſens ſtudij pretium. Hæc nulli obnoxia, à nullius odio, aut favore pendet, exilia, carceres, gladios, incendia, nec ipſam, quam omnes cane peius & angue odimus, egeſtatem metuit. Iuris Cæſarei conſultis nullus in Britannia, & alijs regnis, quibus peculiares leges locus: Theologis noſtris nec Romæ, nec Athenis. At vero per univerſum orbem terrarum omnia ſecum fert, penes quem eſt medendi peritia, ubique gratus eſt Medicus, ubi ſunt homines. *Sola eſt Medicina* (ut Quintiliani verbis concludam) *qua opus eſt omnibus. Nam licet reliquis artibus nec ſemper, nec omnes egeamus, huius utilitate conſtat omnis vita. Et, ut teſtatur Libanius, Medicina pro incolumitate retinenda, proque repellendis ægritudinibus excogitata, uſq; adeo præclara, utilis, neceſſaria eſt hominum vitæ, ut quum cæterarum quidem Artium ſtudia alijs præcipue proſint: Medicina ipſa, & alijs, & ipſi Medico uſui ſit.* FINIS.

IOHANNI BEVEROVICIO,

Reipublicæ Dordracenæ Scabino, & Medico,

I. CROCIUS.

S. P. D.

DVplice nomine, & ſalutationem tuam caram, Vir doctiſsime, & ipſum te habeo, priore quod me; altero quod eſt Focanum meum, velut pararium amicitię inter nos conciliandæ, ſic ames. Quod utrumque ex ſalutatione tuâ cum dedicerim meritò grata accidit, & in utroque ut perſeveres te rogo. Nam & ego certè affectum hunc jam in te refundo, quem tam benigne, tam candidè mihi offers, & ingratiſsimus mortalium ſim, niſi faciam. Ita enim me tibi obſtringis, ut nullam grati animi partem prætermittere poſſe videar, ſine notâ hominis ſordidi, atque immemoris beneficij. Literas meas abs te viſas & lectas, tantum pondus inveniſſe apud te, ut faventiam tuam demereri quiverint, & amorem, ſerio & ex animo gaudeo. Quanquam me hercule tanti non ſunt, & cum in tales incidunt manus, vellem accuratiore limâ perpolitas: ſed benevolæ tuæ æquitate hoc totum tributum eo, qui non doctos ſolum, ſed & φιλομαθεῖς in album tuum adſcribis, & amicitiâ tuâ dignos cenſes. Altum illum

lum tuum animum, generoſi amantem, & honeſti quid ni amem, imo exoſculer? Incalui certe ab hoc benivolentię tuæ ſtimulo, ac ne parum officioſus viderer, non potui non reſpondere invitationi tuæ tam humanæ. Quæ quantum apud me habeat momenti & auctoritatis, luculentius oſtendam ubi ſe ad eam rem feret occaſio. Et feret cum ad me eruditionis tuę latices ſe diffundent, & frui dabitur docto alloquio tuo literarum. Medicinam ut audio profiteris, & exerces in antiquiſsimâ urbium, & primariâ Hollandiæ, & quod caput, exerces eam cum laude, & fructu. Laudem pono in ſublimiori nobilis illius diſciplinæ ſcientia, quam non recentiorum modò, ſed & veterum lectione pertinaci, atque indefeſſa, es conſecutus. Fructum in felici, & auſpicatâ ægrorum curatione. Scientiam in hac facultate eminentem, quotieſcunque arcana illa Naturę, in homine, extra hominem, in toto hoc Vniverſo, impenſius apud me voluo, non poſſum non admirari, medicæque huius facultatis dignitatem, uſum, neceſsitatem. Si quis enim ſecum reputet, quam diverſa & multiplex humani corporis ſit temperatura; quanta in homine ex ætate, ſexu, loco, cœlo, educatione, ſtudijs, uſu, ſit varietas: quam infinita in tot millibus plantarum diſcrimina: quot & quam contraria, ex contrarijs, & pugnantibus cauſis, morborum genera, febrium ſpecies oculorum Symptomata, quæ centum, & amplius

amplius nominatim prodita, tenerimum hoc membrum infeſtant: Quanta homini à venenis pericula, quorum quot ſunt ſpecies, tot ſunt mortis genera, totidem remediorum differentias flagitantia: quot in corpuſculo hoc noſtro quod circumferimus, quotidiani caſus, ijque improviſi, quot ingruentium malorum undique, in hunc amplum humanæ fragilitatis ſcopum, tela, quot ruinæ, aduſtiones, contuſiones, luxationes, vulnera, quæ non conferto minus agmine, quam morbi, hominem deijciunt, atterunt, frangunt: atque in his ipſis morbis, quam dubiæ ſæpe, & fallaces eorum notæ, ſive vultum intuearis ægri, ſive oculos obſerves, verba motum, excrementorum ſigna, pulſus harmoniam tantum undique ſe offert difficultatum, ut abdita illa rimari, & ardua iſta ingenij acumine emetiri, memoriâ complecti, ac penetrato terræ, mariſque ſinu, excuſſiſque undique, totius naturæ fibris, ex tot herbis, fruticibus, plantis, animantibus, gemmis, metallis, ex ipſis denique venenis optima expiſcari remedia, atque horum non uſum modo, ſed delectum, ex tot autorum ſcriptis, tot diſciplinis, imo & ab ipſis aſtrorum influentijs petere, homine majus, ac planè divinum quiddam eſſe videatur. Multorum ea morborum vis eſt, ut certam homini mortem intentent, niſi periclanti, ac pœne conclamato præſto ſit Medicus, veluti gangrena, ſyncopis

ſyncopis profunda : lethargus, paralyſis, angina, hydrops, apoplexia. Quibus omnibus qui medentur malis, qui mortem imminentem ſolertia ſua propulſant, & vitam quaſi ab Orco revocant, nonne ceu dij quidam in terris habendi ſunt, quorum opera, magnus ille rerum arbiter *DEVS*, humano generi benigne proſpectum eſſe voluit? Etenim ſi dare vitam, ptoprium Dei munus eſt, certe datam tueri, & jam oppreſſam ferè, aut fugientem retinere, Deo proximum fateamur oportet, & ſi in quoquam, certe in Medico locum habere, nobile illud Græcorum adagium, ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον. Neque enim corporis tantum, quæ vilior hominis pars eſt curam gerit, ſed & animi, imo & animæ. Quæ quia in hóc corporis ergaſtulo labem ſæpe contrahit à ſitu, non alia certior atque efficacior, ejus curandæ eſt ratio, quam ſi corporis morbis tempeſtive occurratur : Qui ut animæ vigorem non raró aut impediunt, aut etiam extinguunt; ita ijs liberata, aliſque fidei ſubuecta, ad cœlum tanquam ad originis ſuæ ſedem, libero volatu contendit. Qui lymphatum, phreneticum, furioſum reſtituit, nonne totum reſtituit hominem? At cujus ope tanta cura? nonne Medici? Theologus efficit ut homines à vitijs reſipiſcant; at Medicus, ut ſit, qui poſſit reſipiſcere. Fruſtra enim ille Medicus ſit animæ, ſi jam fugerit anima cui paratur medicina.

Fru-

Fruſtra Lethargico ſuadeat, ſi ſuadentem non audiat. Fruſtra phreneticum moneat, niſi primum ſit atrà bile à Medico liberatus. Summam Philoſophiæ, in hoc verti cardine ſtatuunt Plato & alij, ſi nempe rationi pareant affectus, qui quandiu renituntur, fruſtra tenet habenas animus, ſed equum ferocientem in præcipitium ſequi cogitur. At ut auſcultent rationi, egregius ad hanc rem eſt adjutor Medicus, hoc agens ut ea pars hominis vigeat, ſapiatque, cujus arbitrio, honeſta ac magna geruntur. Quis enim æquè pertinax vitæ abſtemiæ, & ſobrietatis ſuaſor? quis fidelior iræ moderandę, triſtitiæ fugiende, vitandæ crapulæ, temperandæ veneris auctor, quam Medicus? Accedit, quod quidquid in homine eximium eſt, artes, ſcientię, diſciplinæ, quicquid in eo virtutis aut eruditionis, id omne nobili huic facultati, nos debere, quis non videt? quatenus id ſervat, ſine quo ne reliqua quidem queant conſiſtere. Quid enim hæc vita ſi perpetuis colluctetur morbis? Certè vivere dici non poſſunt qui mortuam vitam trahunt. Quam ſi ſalubrem reddat, aut tueatur Medicus, quid rationi magis aut æquitati conſentaneum, quam eum vitæ tuæ parentem agnoſcere, à quo vitam hoc eſt valetudinem acceperis? Sed longius me diffundo. Tu vir eximie quam nactus es Spartam, orna, quæ decus tibi, quæ gloriam, autoritatem, & opes eſt conciliatura. Cæterarum artium non ubique paratus

ratus eſt queſtus ; Rhetor apud Sarmatas friget ; Iuris Cæſarei peritus, apud Britannos, ſubtilioris Philoſophiæ monita apud Tartaros, & Garamantas, At Medicum quoquò terrarum abierit vel ad ultimam Thulen, ſuus comitatur honos ſua ſequuntur vitæ commoda : uti nullam diſciplinam verius quadret illud Poëtæ. Τὸ τέχνιον πᾶσα γαῖα τρέφει. Coram, ſi detur aliquando occaſio, plura, & diſtinctius licebit. Nunc valere te, & nos amare opto. Delphis vii. Julij M.DC.XXXI.

IACOBO CRVCIO,

Theologo, & Gymnaſiarchæ Delphenſi.

IOH. BEVEROVICIUS.

S. D.

UT nihil mihi gratius, V. C. tua amicitia; ita lubens vide eius indices, doctas & elegantes literas. Ferreus ſim, ſi non hoc ego pectus vehementer amem, quod tam amanter ad amicitiam invitat jam anteà cupidum, & veluti provocat, ut dicitur, ἵππον εἰς πεδίον. Laudas ſtudium, quod profitemur, & in illo noſtram induſtriam, cujus parum tibi conſtare auguror, niſi fortè hoc Muſarum & Gratiarum corculum, Focanus noſter voluerit, ut ſecum amicè errares : non

non iniucundum tamen fuit vel laudari à laudato viro, vel moneri ab amico. Inter alias Medicinæ laudes & hanc ponis, quod non corporis tantum, quæ vilior hominis pars eſt, curam gerat; ſed & animi, imo & animæ.

Ταῦτα μὲν ὡς καὶ πάντα, μάλ' ἀτρεκέως κατέλεξας.

Revera enim non tantum corporis noſtri, quod artis ſubiectum potius, quam cum Tullio morbos ac vulnera, ſtatuunt Medici, functiones adverſa valetudine lædi videmus, ſed & nobiliſsimas animæ facultates corporis malè affecti contagione impediri. Tanta ſiquidem animi & corporis ſocietas, ut alter alteri & bona & mala ſua communicet. Nam & animus à corporis perturbationibus afficitur, & corpus animi quoque affectionibus movetur, fluctuat, corrumpitur: quod eorum qui amoris cœco igni carpuntur & contabeſcunt. qui curis & invidia emacerantur, qui nimio gaudio animam efflarunt, nec non phreniticorum, melancholicorum, maniacorum & ſimilium, exempla abundè demonſtrant. Nec in ægris modo iſte conſenſus obſervatur: ſed & in ebriis videmus, quanta morum atque cogitationum fiat mutatio, quoties a vini calore cerebri mutatur temperies. Quod eleganter notavit Horat.

Quid non ebrietas deſignat? operta recludit,
Spes iubet eſſe ratas, in prœlia trudit inermem,

Sollicitis

Sollicitis animis onus eximit, addocet artes;
Fœcundi calices quem non fecêre diſertum?
Contractâ quem non in paupertate ſolutum?

Iure igitur divinus Plato præcepit, ut vita humana in quâdam æquali animæ ipſius cum corpore proportione ſervetur. Quod cum præſtet Medicina, tam ingenio quam corpori proſpiciat, in ſano corpore ſanam tueatur mentem, eiuſque perturbationes auferendo, animi ſanitatem, ut vocatur Ciceroni, inducat: non mirum eſt, nullam gentem, ut ſcribis, hâc ſcientiâ carere velle, ac honorem ſuum ei ubique conſtare,

A ſole exoriente uſque ad Meoti' paludes:

magis mirum noſtra ætate inveniri viros reliqua non ineruditos, οἱ τέχνην πεποίηνται, ut loquitur Hippocr. τὸ τὰς τέχνας αἰσχροποιεῖν, qui turpiter in ſectandis artibus artificium ſuum collocant, & Medicinam velut hominibus inutilem criminantur. In his nomen ſuum profitetur Michael Montanus, celebris apud Gallos nominis, & magnæ, dum viveret, dignitatis: de quo ſcriptore diverſa ſunt doctorum judicia. Sunt qui ingenium eius, ſtylum, iudicium laudibus ad cœlum extollunt, quidam humiliter deprimunt, & inter ſciolos iſtos referunt, qui vix ἄκρῳ τῷ δακτύλῳ ψαύσαντες τοῦ τῶν Μουσῶν λέβητος, peritiſsimos ſe literarum arbitrantur, & inani eruditionis opinione tument. Equidem quamvis mihi tantum non arrogem, ut

 de

de ſcriptis eius iudicium (quod ille in aliis ſibi ſumit liberrimum) ferre auſim: animadverti tamen iis ineſſe, quod de medicamentis Ægypti dicebat Homerus.

Πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά,
Pharmaca multa quidem bona miſta, & noxia multa:

ita ut non mereatur ubique cum clariſſimo Lipſio Gallicus dici Thales, aut ſeptem Græciæ ſapientibus annumerari. Certe quæ innato, ut non diſſimulat, odio contra Medicinæ neceſſitatem conſcripſit, omnia κίβδηλα eſſe καὶ τοῦ πονηροῦ κόμματος, demonſtrare conabor. Et operæ huius pretium mihi facturus videor, quod liber eius in omnium manibus verſetur, ſi provideam ne Gallico hoc tumultu reſp. Medica quid detrimenti capiat. Quare præcipua argumenta, quibus in Miſcellaneis ſuis (Gallice *Les Eſſais* inſcripſit, Guſtus vertere conatur Lipſius, Conatuum nomine laudant Thuanus & Sammarthanus) Medicinæ uſum ac neceſſitatem impugnat, veluti ad incudem revocabo, & quam invalido tibicine nitantur oſtendam.

Patrem ſuum refert vixiſſe annos duos & ſeptuaginta, avum ſexaginta & novem, proavum ætatem produxiſſe ad annum circiter octuageſimum, cum nihil unquam medicaminis neque medicamentoſi aſſumpſiſſent. Sed rara non ſunt artis, neque contra artem noſtram faciunt: non enim

enim mirandum in innumero hominum numero aliquot quandoque reperiri, quos præter cæteros amavit æquus Iupiter, & eximiâ donavit corporis temperie, quam ipſi ſingulari temperantia diutiſſime incolumem tuentur abſque ope Medicinæ. Nam, ut ait Servator, *Sanis non opus eſt Medico.* Verum & illi, qui temperate & naturæ convenienter, &, ut ſibi videtur, ſine Medicina vitam degunt, inſcij ea obſervant præcepta, quæ traduntur in ea Medicinæ parte, quæ agit de tuenda valetudine. Quod ipſum fere ijs reſponſum eſt ab Hippocrate, qui olim objiciebant, multos ægrotantes non adhibitis Medicis convaleſcere. Hoc fieri dicit, quod ipſi ſponte ea feciſſent; quæ prudens Medicus ex arte præſtitiſſet. *Quod*, inquit, *ſanè magnum eſt artis exiſtentis argumentum, & quod inter præclara habenda ſit, quando qui ne eam quidem eſſe exiſtimant, eius ope ſervati conſpiciuntur. Qui enim non adhibitis Medicis ex morbis convaluerunt, ut intelligant omninò neceſſe eſt, ſe quod aliquid vel fecerint, vel non fecerint, idcirco ſanitatem eſſe conſequutos, &c.* Quod vero dubitat Montanus, an reperiantur qui ad illud exemplum longævi Medicorum ope utentes vixerint, fruſtra eſſe, quotidiana experientia documento eſſe poteſt. Addit, non quidem negare ſe poteſtates herbarum, quas & beſtiæ comprobent, ſed diffidere experientiæ, & inventis noſtris; quaſi vero iſta tot jam ſeculis compro-

bata & corroborata non certam medendi normam reddiderint.

Ac calumniȩ ſanè proximum eſt, Medicos trahere ægros, & ſanitatem morari, ac in longum ducere, quò eos perpetuò ſibi habeant obnoxios. Abſit, abſit à Medicis abominandum iſtud vitium, quale plerique Hiſtoriographi tribuunt Catharinȩ Medicex, Galliarum reginæ, & Ap. Claudius apud Livium ſeditioſis tribunis, qui ſemper ægri aliquid eſſe in rep. volebant, ut eſſet ad cuius curationem à civibus adhiberentur. Vidi, & ſectatus ſum ad praxin non modo noſtras, ſed & celebriores Galliæ, Germaniæ, & Italiȩ medicos: ſed nunquam in ullo tale ſcelus potui deprehendere. Quærit Tertullianus, *Quid de tali Medico iudicabis, qui nutriat morbum mora præſidij, & periculum extendat dilatione remedij, quo pretioſius, & famoſius curet?* Reſpondeo verbis Senecæ, *Graviſſima inſania eſt Medici, opus quærere Medici. Multi, quos auxerant morbos, & irritaverant, ut maiore gloria ſanarent, non potuerunt diſcutere, aut cum magna miſerorum vexatione vicerunt.* Addo, qui eo modo quæreret lucrum, damnum neceſſario facturum: cum is, qui citius curat, à pluribus adhibeatur.

Nec minus falſum eſt, quod aſſerit, Medicos ex

ex integra, & incorrupta ſanitate prognoſticum capere ægritudinis corpori corrumpendo. Non enim ſimpliciter dixit Hippocrates 1. Aphor. III. eique ὁμόψηφος Plato II. de Rep. *ὡς ἐπ' ἄκρον εὐεξίας σφαλερὰς, bonos corporis habitus ad ſummum progreſſos, periculum minari*, Sed Τῶν γυμναςικῶν, *athletarum*, qui ad vires, ſeu, ut Cicero in Antonio exprobans vocat, gladiatoriam totius firmitatem comparandam, ultra modum ſe ſaginare ſolebant? quorum corpus ad ſummum plenitudinis gradum perductum, cum neque conſiſtere, neque in melius proficere poſſet, reliquum erat, quod dicit Hippocrates, ut laberetur in deterius. Et ita, quod inquit Euripedes à Plutarcho in hanc rem citatus, Ο' δὲ ἀρλι θάλλων σαρκὶ, διοπετὴς ὅπως ἀςὴρ ἀπέσβη. *Modo qui vigebat carne, cœlitus velut delapſa ſtella extinctus eſt.* Sanitatis ſtudium ſtatuit Hippocrates, non impleri cibis, & impigrum eſſe ad labores. Α'σκησις ὑγιείης, inquit, ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων. Athletæ verò, ſic contra præceptum id agunt, ut plus iuſto ſe in laboribus corporis retineant, cibiſque impleant, & omnino quicquid ſenex ille præcepit, Bacchantium more inſanientes contemnant, ille enim, cum ſalubrem victus rationem præcipere conſtituiſſet, ſic ſcriptum reliquit: Πόνοι, σῖτοι, ποτὰ, ὕπνοι,

ἀφροδίσια, πάντα μέτρια. Labor, cibus, potus, ſomnus, venus, omnia moderata. Iſti verò & gymnaſia quotidie ſine modo fatigant, & cibis ſic utuntur, ut eos vi ſæpe ingerant, & ad mediam noctem producant, ut Homeri illud iure in eos dicendum arbitretur Galenus,

Ἄλλοι μέν ῥα θεοίτε ἀνέρες ἱπποκορυςαὶ,
Εὖδον παννύχιοι μαλακῷ δεδμήμενοι ὕπνῳ.
Ἀλλ᾽ ἐκ ἀθλητὰς κακοδαίμονας ὕπνος ἔμαρπτεν.
Noctem dii reliqui totam, mileſque trahebat
Defeſſus, placido reſoluti membra ſapore.
Sed nullus miſeras Athletas ſomnus habebat.

Hæc & plura Galenus προτρεπτικῷ λόγῳ πρὸς τὰς τέχνας, & concludit ex Hippocrate habitum Athleticum à vere ſano plurimum differre. Quem cum de optimo & perfecte ſano corporis habitu intelligeret Montanus, malè citavit Medicorum prognoſticon.

Neque me movet, quod glorietur ſe facile, cum ſæpius ægrotarit, Medicis caruiſſe, cum videam alibi miſere conqueri de aſperrimis renum & coli doloribus.

At hoc palmarium eſſe exiſtimat, quod nec ipſi Medici vitæ fœlicitate, aut diuturnitate, artis comprobent potentiam, unde illud,

ἄλλων ἰατρὸς ἀυτὸς ἕλκεσι βρύων.
Aliis medetur, ipſus ulceribus ſcatet.

De huius farinæ Medicis dixiſſe videri poſſit, apud Ciceronem in Epiſtolis, Torquatus: *Plerique*

quod

quod tenere atque ſervare id, quod ſtatuerunt, non poſſunt, victi & debilitati, obiectâ ſpecie voluptatis, tradunt ſe libidinibus conſtringendos, nec, quid proventurum ſit provident; ob eamque cauſſam, propter voluptatem tum in morbos graves; tum in damna, tum in dedecora incurrunt. Eundem Tullium in aureâ conſolatione monet Ser. Sulpitius, ne imitetur malos Medicos, qui in alienis morbis profitentur ſe tenere Medicinæ ſcientiam, ipſi ſe curare non poſſunt. Verum enimverò à quorundam crimine, qui cum Medeâ Naſonis, meliora videntes & probantes, ſequuntur deteriora, non diſcendi omnes, neque ex ejuſmodi Medicis, qui ſaluberrima artis, quam profitentur, præcepta inſuper habentes, vitiorum ſe illecebris & cupiditatum lenocinijs dedidere, Medicinæ facultatem atque potentiam æſtimare fas eſt. Nam & cum valent, & cum ægrotant recta conſilia, quæ alijs dare ſolent, ipſi negligunt. Vnde Medicus quidam hoc ſibi obijcienti facetè reſpondit, *Audis me ſuadentem alijs, quæ arti Medicinæ placent; vides facientem, quæ Medico placent.* Nec minus feſtivum eſt, quod narrat Guevara *lib.* 1. *Epiſt. Hiſpan.* cum aliquando Medicum Sotto febre æſtuantem, & merum nihilominus bibentem interrogaret, cur ſibi quondam febricitanti aquam endiviæ præſcripſiſſet, reſpondiſſe, præceptorem Hippocratem, omnibus ſucceſſoribus præcepiſſe, ſtatuta in tranſgreſſo-

res anathematis pœnâ, ut ſe aquâ è fructu vitis expreſſa, alios ex herbis deſtillatâ curarent. De his intelligendus Philemon,

Τεκμήριον δὲ, τοὺς ἰατροὺς οἶδ' ἐγώ
Ὑπὲρ ἐγκρατείας τοῖς νοσοῦσιν εὖ σφόδρα
Πάντας λαλοῦντας εἶτ' ἐὰν πταίσωσί τι,
Αὐτοὺς ποιοῦντας πάνθ', ὅσ' οὐκ εἴων τό τε Ετέρους.
Ipſe Medicorum mos apertè id arguit.
Hos prædicare plurimis verbis ſcio
AEgris, quibus medentur, abſtinentiam
Ipſoſmet at, ſi ſua vvletudo labet,
Audere facere, quæ vetabant cæteris,

Turpe ſane eſt doctori, cum ipſum culpa redarguit, ſed hæc Medicorum tribuenda intemperantiæ, non artis impotentiæ. Et ut hos ὀλιγοβίους, & maturè mori videmus, ita verè Medicos & ex arte viventes ac curantes, quamvis valetudinarios; fœliciſsimè & diutiſsimè vivere. Galenus ſit inſtar multorum, qui multis locis naturalem ſuam infirmitatem fatetur, quam probè adeò ſe correxiſſe ſcribit, ut vix unquam morbo fuerit conflictatus. Quibus modis, ut memoriæ ac literis proditum eſt, vitam in centeſimum & quadrageſimum annum prorogavit : quamvis Suidas eum ſeptuageſimo ætatis anno mortuum aſſerat. Nonne igitur admirabilem artis potentiam abundè demonſtrat, quod à Plutarcho ſcriptum quotidie comprobatur, multos naturâ debiles ac valetudinarios remedijs,

&

& bono regimine incorruptam ſervaſſe ſanititem, & ad decrepitam ſenectutem vitam produxiſſe, in ipſo aliàs ætatis flore perituros? Philoſophorum principis Plato & Ariſtoteles, idipſum confirmant exemplo Herodici cuiuſdam, qui cum præ cæteris iſtius ætatis eſſet valetudinis infirmæ, artis Medicæ præſidio, & accuratâ vivendi ratione in centum annos vitam protraxit.

Neque verum eſt, quod aſſerit, nullam gentem eſſe, quæ non aliquot ſeculis Medicinâ caruerit: cum ab omni antiquitate, & à prima mortalium origine; quando, ut canit Heſiodus, inciperent.

Νȣσοι ανϑρώποισιν ἐφ' ἡμέρῃ, ἠδ' ἐπὶ νυκτὶ Αὐτόματοι φοιτῶν, *quando macies, & nova febrium Terris incubuit cohors*: apud Hebræos, Chaldæos, Aſſyrios, Ægyptios, Indos Medicina floruerit, reliquæ etiam nationes neceſſitate adactæ eam admiſerint, licet non omnes adhibuerint Medicam artem profeſſos. Quod autem P. Romanum ultra ſexcenteſimum annum ſine Medicinâ degiſſe legamus, idque approbante Catone illo, cuius authoritati triumphus atque cenſura minimum conferunt, tanto in ipſo plus eſt; uti laudat eum Plinius: ex eodem Plinio reſponſio haurienda, cum addit, ſine Medicis quidem eos vixiſſe, non tamen ſine Medicinâ, quod etiam ex Athenæo comprobatur: haud [illegible] atque hodie Turcæ, qui

qui cum Medicis ferè careant, nonnullis tamen uti remedijs, ut & victus rationem adhibere ſolent. Romanos verò cum crudeliter acciperentur à Medicis Græcis, quos inter ſe juraſſe refert Cato, apud Plinium, omnes Barbaros necare medicina, non mirum eſt, talia καθάρματα, carnificum potius, quam Medicorum nomine digna, odio habuiſſe, & ne ſpe dubiæ ſalutis certam perniciem incurrerent, ſedula caviſſe. Poſtea tamen Medicos admiſere, ampliſſimiſque affecere honoribus, ut apud Plinium videre eſt. Iulium Cæſarem omnes Romæ degentes civitate donaſſe, narrat Suetonius, & Plutarchus, Philotas Amphiſſenſis medicus, ab Antyllo, M. Antonij triumviri F. menſa argenteis poculis grandibus onuſta donatus fuit, ut refert Plutarchus. Et Alexandrum Sæverum imp. Medicis ſalaria inſtituiſſe legimus apud Lampridium. Quinetiam Antonio *Muſæ* ob curatum Auguſtum ſtatua poſita, alijque honores decreti. Hunc Muſam primum fuiſſe Medicum, qui Romam è Græcia venerit, cum Romani quadringentos & tres annos, atque decem menſes abſque ijs degiſſent, ſcriptum eſt ab Ant. Guevara, epiſtola ad Melgarem medicum. Sed hæc inſignis eſt diſerti viri ἀνιστορησία, cum Auguſtus à Muſa ſanitati reſtitutus ſit anno ab urbe condita ſeptingenteſimo trigeſimo primo, & Plinius teſtetur lib. XXXIX. [illegible] Caſſium Heminam ex

ex antiquis authorem eſſe primum è Medicis veniſſe Romam Peloponneſo Archagatum, (qui jus Quiritium obtinuit) L. Æmilio, & M. Livio Coſſ. anno V. C. quingenteſimo trigeſimo quinto. Neque mirum, ferocem Romanorum gentem, & Marti prius, quam Minervæ addictiorem, ſerius Medicinam accepiſſe, cum idipſum de alijs etiam diſciplinis conqueratur Cicero 1. *Tuſc.* & de ipſa Philoſophia, quam iacuiſſe ad ſuam ſcribit ætatem, nec ullum habuiſſe lumen literarum Latinarum, *Grammatica* (ſcribit Suetonius de illuſtr. Grammaticis) *olim Romæ ne in uſu quidem, nedum in honore ullo erat, rudi ſcilicet, ac bellicoſa etiam tum civitate, nec dum magnopere liberalibus diſciplinis vacante.* Idem libro de clar. rhet. id de Rhetorica teſtatur, quam etiam Romæ olim exerceri prohibitam ex edictis demonſtrat. *Paullatim tamen* (inquit) *& ipſa utilis, honeſtaq́; apparuit, multique eam præſidij cauſſa, & gloriæ appetiverunt.* Idem de Medicina liceat dicere. Quid ergo? damnatam à Catone rem utiliſsimam credimus? Minimè hercle: ſubijcit enim in epiſt. apud Plin. qua medicina ſe & coniugem ad longam ſenectam perduxerit. Quemadmodum igitur ob abuſum rei uſus tollendus non eſt, & nemo Lycurgum vites extirpantem, quod nimia vini ingurgitatio inebriaret, laudandum cenſet: ita nec artem quampiam profitentium vitia & imposturæ derogare debent artis dignitati. Sed diſcernen-

ſcernendus Medicus celer atque fidelis; & apprimè doctus, qui cum Homero dici mereatur πολλῶν ἀντάξιος, ac fere ἰσόθεος cum Hippocrate, ab iſto, quem idem dixit hiſtrioni ſimilem, Medici perſonam agere. Hic, qui unicâ ſepè literâ plus eſt quam medicus (ut cum Plauto alludam) cum neque natare, neque literas noverit, multa tamen,ut imperitæ plebi & mulierculis præcipuè glaucoma ob oculos objiciat, incondita blaterare,& Thraſonum more gloriari ſolet, quibus vulgo nonnunquam imponit;

------ οἱ γὰρ ἐν σοφοῖς
φαῦλοι, παρ' ὄχλῳ μουσικώτεροι λέγειν. *namque*
Apud eruditos qui nihil valent, apud
Plebem imperitam, præminent facundiâ.

Sæpius vero iſte loquentia ſua alijs moleſtus eſt, & ægro morbum auget, ut de loquaci Medico optimè dixerit Comicus,

ἰατρὸς ἀδόλεσχος νοσοῦντι πάλιν νόσος.
Medicus loquax ſecundus ægro morbus eſt.

Sed hæc perſonis imputentur. Quibus etiam ſatisfactum Montano volumus, cum ſcribit ex Plinio, nullam artem Medicina inconſtantiorem fuiſſe. Nam ille, quos adducit, dum experimenta per mortes agerent, eam ſæpius præ inſcitiâ mutarunt. Inter eos ficus ille Theſſalus, qui, de patris textrina prodiens, longam hanc artem ſe ſex menſium ſpatio edocturum promittebat, teſtante & ridente Galeno. Inter eos

quoque

quoque Themiſon, cuius, mala ſenectutis enumerans, meminit Iuvenalis,

Quot Themiſon ægros autumno occiderit uno.

Neque mirum, nam liberalitate Romanorum illecti Græculi docti indoctique paſsim, nullo artium præſidio inſtructi. Medicinam illotis manibus arripiebant, & ut plurimos in ſui admirationem pellicerent (quod fructuoſiorem reddebat artem) quiſque nova & inaudita veteribus comminiſci cœpit. Hinc illæ lacrymæ, & ſtatim tres Medicorum ſectæ, de quibus Auſonius,

----- triplex quoque forma medendi,

Quæ logos, & methodos, cuiq; experientia nomen

Iſtorum vanitates peculiari libello abunde Galenus refutavit. At-qui Medicinam inconſtantiæ accuſant, non Nævium, aut Plautum, ut ait ille, ſed ne Theologiam commemorem, Artes omnes, in quibus non idem omnes ſentiunt, ipſamque Philoſophiam accuſant, quam à Socrate acceptam in varias ſententias ſectaſque diſtraxere diſcipuli. Hippocrates, ut ſcribit Macrobius, tam fallere, quam falli neſcivit. Sed ille, rariſsima avis in terris, etiam ſuo tempore conqueſtus eſt Medicos fama quidem multos, opere vero perpaucos eſſe. *Grammaticus*, inquit Ammian. Marcellinus, *locutus eſt interdum barbarè, & abſurdè cecinit muſicus, & ignoravit remedium medicus: at non ideò grammatica, nec muſica, nec medicina contemnenda eſt.* Vnde præclarè Tullius, *ſigna oſtenduntur*

oſtenduntur, ait, ab his rerum: in his ſi quis erraverit, non Deorum natura, ſed hominum coniectura peccavit.

Porrò à veritate alienum eſt, quod putat Montanus, omnibus Medicorum præſcriptis nil aliud effici, quam ut venter expurgetur: neque minus ridiculè dubitat, an non Natura certo more modoque excrementis iſtis, velut fœce vinum, opus habeat, ac proinde inutiliter evacuentur. Quanto melius vel Imp. Claudius? qui, tantum abeſt, ut craſsiores cibi reliquias in alvo diutius ſtagnare ſanum cenſeret, meditatus ſcribitur à Suetonio edictum, quo veniam daret flatum crepitumque ventris in convivio emittendi, cum periclitatum quendam præ pudore ex continentia reperiſſet. Fortaſſe bonus vir diſciplinam Stoicorum ſequutus fuit, qui, teſte Cicerone, crepitus aiebant æque liberos, atque ructus eſſe oportere. Sed & ſua adhuc confirmantem audiamus Montanum. Nam & ſanos, inquit, aliquando videre eſt ſubito in vomitum, vel alvi fluorem incidere, nulla prius cogente neceſsitate, aut ſubſequente commodo, imò quandoque detrimento. Vis cauſſam Montane, dabit Hipp. qui in Aphor. *In perturbationibus alvi*, inquit, *& vomitionibus, quæ ſponte fiunt ſi qualia oportet purgari purgentur, confert, & facile ferunt: ſin minus, contra fit.* Exempla non afferam ex Medicis, qui tibi ſuſpecti, ſed ex Tullio unum pro multis, epiſtola ad uxorem, χολὴν ἄκρατον, *noctu*

noctu eieci, ſtatim ita ſum levatus, ut mihi Deus aliquis medicinam feciſſe videatur. At hoc artis, & artificum eſt, ea modò purgare, quæ purgari debent, & hoc ægris confert, & bene ferunt. Ac quamvis à Platone, quem citat Montanus, & à Plutarcho ſimilia afferantur, cenſent tamen Medici iure optimo excrementa, quæ tum copia, tum qualitate naturæ moleſta & adverſa ſunt, non eſſe retinenda, ſed protinus excernenda, ſanguinemque ab impuritatibus vindicandum. Si enim, quod & vulgus novit, externum aliquod membrum, quoties correptum gangræna aut ſphacelo corrumpitur,

Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur;

cui quæſo veriſimile fieri poſsit naturam vitioſis & excrementitijs fœcibus conſervari, aut illas, ne malum ſerpat, non eſſe expurgandas? Neque omnia medicamenta, ut vult, aliquam partem noxiam obtinent: ac quod nonnullis ineſt, arte corrigitur, vel aufertur. Et quemadmodum nemo non lintea ſapone, aut nitro (nam hac ſimilitudine utitur Plutarchus) detergere malit, quam ut ſordibus imbuta conſumantur: ita etiam corpora ægra & vitioſis humoribus repleta, alijſque impuritatibus inquinata purgare præſtat medicamento non adeò forte benigno, cum duro nodo durus debeatur cuneus, quam permittère ut corpus hoc corporum omnium nobilſsimum, internis vitiis conſumptum, ſtultitiæ noſtræ pœnas luat. Sed

DES. ERASMI ROTERODAMI.

DECLAMATIO IN LAVDEM ARTIS MEDICÆ.

QVO ſæpius eſt ars medicinę, meditatis & elaboratis orationibus hoc ex loco, apud pleroſque veſtrum prædicata, idque à viris ſingulari facundia præditis, auditores celeberrimi, hoc mihi ſane minus eſt fiduciæ, me vel tantæ rei, vel aurium veſtrarum expectationi ſatis facturum. Neque enim rem prope divinam, noſtra facile aſſequetur infantia, neque vulgaris oratio de re toties audita, tædium poſſit effugere. Verum tamen ne ſalutari maiorum inſtituto videar deeſſe, qui ſolemni encomio iuventutis animos ad huius præclaræ ſcientiæ ſtudium, admirationem, amorem, excitandos, accendendos, inflammandoſque cenſuerunt, experiar & ipſe pro mea virili (Siquidem me dicente adiutabit veſtra tum attentio, tum humanitas, favore candido proſequentes, quem ad hoc muneris veſtra adegit autoritas) medicæ facultatis dignitatem, autorita-

tem, uſum neceſſitatem, non dicam explicare, quod prorſus infiniti fuerit negotij, ſed ſummatim modo perſtringere, ac veluti confertiſſimas locupletiſsimæ cujuspiam reginæ opes, per transennam ut aiunt, ſtudioſorum exhibere conſpectibus. Cuius quidem ea vel præcipua laus eſt. Primum quod nullis omnino præconijs indiget, ipſa abunde per ſe vel utilitate, vel neceſsitate commendata mortalibus. Deinde quod toties jam à tam præclaris ingenijs prædicata, ſemper tamen novam laudum ſuarum materiam, ingenijs etiam parum fœcundis ex ſeſe ſuppeditat, ut nihil neceſſe ſit eam vulgato more invidioſis illis contentionibus,non ſine ceterarum diſciplinarum contumelia deprædicare. Quid illud magis metuendum, ne domeſticas illius dotes, ne germanam ac nativam amplitudinem, ne maieſtatem humana conditione maiorem, mortalis oratio non aſſequatur. Tantum abeſt, ut vel aliena contumelia, vel aſcititijs Rhetorum fucis, aut amplificationum præſtigijs ſit attollenda. Mediocrium eſt formarum, deformiorum comparatione aut cultus lenocinijs commendari. Res per ſe vereque præclaras, ſatis eſt vel nudas oculis oſtendiſſe. Iam primum enim (ut ad rem feſtinemus) reliquæ artes, quoniam nulla non magnam aliquam vitæ commoditatem attulit, ſummo quidem in pretio fuere. Verum medicinę quondam tam dulcis experientia, ut eius authores, aut plane pro
dijs

dijs habiti ſint, velut Apollo, & hujus filius Æſculapius (quod ait Plinius) ſingula quoſdam inventa deorum numero addiderunt, aut certe divinis honoribus digni ſint exiſtimati, velut Æſclepiades, quem Illyrici numinis inſtar receptum, Herculi in honoribus æquarunt. Non quidem probo quod fecit antiquitas, affectum ſane ac judicium laudo, quippe quæ recte & ſenſerit & declaravit, docto fidoque medico nullum ſatis dignum prẹmium perſolvi poſſe. Etenim ſi quis ſecum reputet, quam multiplex in corporibus humanis diverſitas, quanta ex ætatibus, ſexu, regionibus, cœlo, educatione, ſtudijs, uſu, varietas, quæ infinita in tot millibus herbarum (ne quid interim dicam de cæteris remedijs) quæ alibi aliæ naſcuntur diſcrimina. Tum quot ſint morborum genera, quẹ trecenta nominatim fuiſſe prodita ſcribit Plinius, exceptis generum partibus, quarum omnium quam nullus ſit numerus, facile perpendet, qui tantum norit quot formas in ſe febris vocabulum complectatur, ut ex uno cætera ẹſtimentur, exceptis his, qui quotidie novi accreſcunt, neque ſecus accreſcunt, quam ſi de compoſito cum arte noſtra bellum ſuſcepiſſe videantur. Exceptis venenorum plus mille periculis, quorum quot ſpecies ſunt, tot ſunt mortis genera, todidem remediorum differentias flagitantia. Exceptis caſibus quotidianis, lapſuum, ruinarum, ruptionum aduſtionum, luxationum, vulnerum, atque his

conſimilium quæ prope cum ipſo morborum agmine ex æquo certant. Denique qui cogitet, quanta ſit in corporum cœleſtium obſervatione difficultas, quę niſi cognoris, ſæpenumero venenum erit, quod in remedium datur. Ne quid interim commemorem, ſæpe fallaces morborum notas, ſive coloris habitum ſpectes, ſive lotij ſigna rimeris, ſive pulſus harmoniam obſerves, velut hoc agentibus malis, ut hoſtem medicum fallant, & imponant. Tantum undique ſeſe effundit difficultatum, vt mihi difficile ſit omnes vel oratione proſequi. Sed ut dicere cœperam, has omnes rerum varietates ſtudio perſequi, obſcuritates ingenio aſſequi, difficultates induſtria pervincere, ac penetratis terrę fibris, excuſſis undique totius naturæ arcanis, ex omnibus herbis, fruticibus, arboribus, animantibus, gemmis, ex ipſis denique venenis, cunctis humanę vitę malis, efficacia quærere remedia, atque horum opportunum uſum, ex tot autoribus, tot diſciplinis, imo & ab iſtis ſideribus petere. Hęc, inquam, tam abdita rimari cura, tam ardua viribus animi adipiſci, tam multa memoria complecti, tam neceſſaria ad ſalutem univerſi mortalium generis in commune proferre, nonne prorſus homine maius ac plane divinum quiddam fuiſſe videtur; Abſit invidia verbis. Liceat id quod vero verius eſt ingenue prædicare. Non me iacto ſed artem ipſam effero. *Etenim ſi dare vitam proprium dei munus eſt,*

certe

certe datam tueri, iamque fugientem retinere, deo proximum fateamur oportet. Quanquam ne prius quidem illud, quod nos ſoli deo proprium eſſe volumus, medicorum arti detraxit antiquitas, ut credula ita gratiſſima. Nam Æſculapij quidem ope Tyndaridam & poſt eum complures ab Orco in lucem rediſſe credidit. Æſclepiades hominem exanimatum, elatum, comploratumque ab rogo domum vivum reduxiſſe legitur. Xanthus hiſtoricus catulum Leonis occiſum, pręterea & hominem quem Draco occiderat, vitæ redditum fuiſſe poſteris prodidit, herba quam halin nominat. Ad hęc Iuba in Africa quendam herba revocatum ad vitam teſtis eſt. Neque vero laboraverim, ſi ſint apud quos hæc fide careant. Certe (quod agimus) admirationem artis, tanto magis implent, quanto magis ſupra fidem veri ſunt, & immenſum eſſe fateri cogunt, id quod vero ſuperſit. Quanquam quantum ad eum attinet, qui vitæ redditur, quid refert, utrum anima denuo in artus relictos divinitus reponatur, an penitus in corpore ſepulta, morbique victoris oppreſſa viribus arte curaque medici ſuſcitetur atque eliciatur, iamque certo migratura retineatur? An non pene paria ſunt, mortuum reſtituere, & mox moriturum ſervare? Atqui permultos nominatim recenſet Plinius libro hiſtoriæ mundanæ ſeptimo, qui iam elati partim in ipſo rogo, partim poſt dies compluſculos revixerint. Miraculum eſt, quod

paucis dedit caſus. Et non magis mirandum,quod quotidie multis largitur ars noſtra? Etiam ſi hanc deo Opt. Max. debemus, cui nihil non debemus ne quis hæc à me putet arroganti⁹ dicta quàm verius. Cum plurium morborum ea vis eſt, ut certa mors ſint, niſi præſens adſit medicus, velutiſtupor is,qui mulieribus potiſſimum ſolet accidere, ueluti ſyncopis profunda, paralyſis, apoplexia. Neque deſunt ulli vel ſeculo, vel genti ſua in hanc rem exempla. Hic qui mortem ingruentem arte ſua depellit, qui vitam ſubito oppreſſam revocat nonne ceu numen quoddam dextrum ac propitium ſemper habendus eſt? Quot cenſes homines ante diem ſepultos fuiſſe priuſquam medicorum ſolertia,morborum vires, & remediorum naturas deprehenderat? Quot hodie mortalium millia vivunt, valentque, qui ne nati quidem eſſent, niſi eadem hæc ars, & tot naſcendi diſcriminibus remedia, & obſtetricandi rationem reperiſſet? Adeo ſtatim in ipſo vitæ limine, & naſcens, ſalutarem medicorum opem,miſerabili voce implorat. Horum arti vitam debet, & qui nondum vitam accepit, dum per eam prohibentur abortus, dum mulieri ſeminis recipiendi,retinendique vis confertur, dum pariendi facultas datur. Quod ſi vere dictum eſt illud, Deus eſt juvare mortalem, profecto mea ſententia aut nuſquam locum habebit illud nobile græcorum adagium ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον, aut in medico fido

pro-

proboque locum habebit, qui non iuvat modo, verumetiam ſervat. An non igitur ingratitudine ipſa videatur ingratior, ac ipſa propè vita indignus qui medicinam alteram ſecundum deum vitæ parentem, tutricem, ſervatricem, vindicem, non amet, non honoret, non ſuſpiciat, non veneretur? Cuius preſidijs nunquā ulli non eſt opus. Nam reliquis quidem artibus, nec ſem per, nec omnes egemus. Hujus vtilitate mortalium omnis vita conſtat. Nam fac abeſse morbos, fac omnibus proſperam adeſse valetudinem, tamen hanc qui poterimus tueri, niſi medic⁹ ciborum ſalutarium ac noxiorum diſcrimen, niſi totius victus, quam græci dietam vocant, rationem doceat. Grave mortalibus eſt onus ſenecta, quam non magis licet effugere quam mortē ipſam. Atque ea medicorū opera multis contingit, tum ſeri⁹, tum multo etiam levior. Neque enim fabula eſt quinta, quam vocant eſsentia, ſenio depulſo hominem velut abiecto exuvio reiuveneſcere, cum extent aliquot huius rei teſtes. Neque vero corporis tantum quæ vilior hominis pars eſt, curam gerit, imò totius hominis curam agit, etiamſi Theologus ab animo, medicus à corpore ſumat initium. Siquidem propter arctiſſimam amborum inter ſe cognationem & copulam, ut animi vitia redundant in corpus, ita viciſſim corporis morbi animæ vigorem aut impediunt, aut etiam extinguunt. Quis æque pertinax ſuaſor abſtinentiæ, ſobrietatis, modo-

moderandæ iræ, fugiendæ triſtitiæ, vitandæ crapulæ, amoris abijciendi, temperandæ veneris, atque medicus? Quis efficacius ſuadet ægroto, ut ſi vivere velit, & ſalutarem experiri medici opem, prius animum à vitiorum colluvie repurget? Idem quoties vel diete tica ratione, vel ope pharmaceutica bilem atram minuit, labantes cordis vires reficit, cerebri ſpiritus fulcit, mentis organa purgat, ingenium emendat, memoriæ domicilium ſarcit, totumque animi habitum commutat in melius, nonne per exteriorem ut vocant hominem, & interiorem ſervat. Qui Phreneticum Lethargicum, maniacum, ſyderatum, lymphatum reſtituit, nonne totum reſtituit hominem? Theologus efficit ut homines à vitijs reſipiſcant, at medicus efficit ut ſit qui poſſit reſipiſcere. Fruſtra ille medicus fit animæ, ſi iam fugerit anima, cui paratur antidotus. Cum impium hominem ſubito corripit paralyſis, apoplexia, aut alia quædam præſentanea peſtis, quæ vitam prius adimat, quam vacet de caſtiganda cogitare vita, hunc qui reſtituit, alioquin infeliciter in ſuis ſceleribus ſepeliendum, nonne quodammodo tum corpus, tum animum ab inferis revocat? In eum certe locum reponit hominem, ut ei in manu jam ſit, ſi velit æternam mortem fugere. Quid ſuadebit lethargico Theologus, qui ſuadentem non audiat? Quid movebit phreneticum, niſi medicus prius atram bilem repurgarit? Pietas ceteræque virtutes,

virtutes, quibus chriſtiana conſtat felicitas, ab animo potiſsimum pendent, haud inficior. Cæterum quoniam is corpori illigatus, corpore is organis velit nolit utitur, fit ut bona pars bonæ mentis à corporis habitu pendeat. Permultos homines infelix corporis temperatura, quam græci modo *κρᾶσιν*, modo *σύςημα* vocant, velut invitos ac reclamantes, ad peccandum pertrahit, dum animus inſeſſor fruſtra moderatur habenas, fruſtra ſubdit calcaria, ſed equum ferocientem, in præcipitium ſequi cogitur. Animus videt, animus audit, ſed ſi oculos occuparit glaucoma, ſi aurium meatus craſſus humor obſederit, fruſtra vim ſuam habet animus. Odit animus, iraſcitur animus, aut vitioſus humor mentis organa obſidens in cauſſa eſt, ut oderis, quem amore dignum iudices, iraſcaris cui nolis iraſci. Philoſophiæ ſummam in hoc ſitam eſſe fatetur Plato. Si rationi pareant affectꝰ, atq; ad eam rem præcipuus eſt adjutor medicus, hoc agens, ut ea pars hominis vigeat ſapiatq; cuius arbitrio geruntur, quæcunq; cum laude geruntur. Si hominis vocabulo cenſentur indigni qui pecudum ritu rapiuntur cupiditatibus, huius nominis dignitatem bona ex parte debemus medicis. Id cum maximum ſit in ſingulis ac privatis, quanto præclarius eſt beneficium, cum id preſtatur in principe? Nulla fortuna magis eſt obnoxia malis hujuſmodi, quam felicisſimorum regum. Quos autem rerum tumultus ciet unius homunculi vitia-

tum cerebrum? Fruſtra reclament qui ſunt à conſilijs, furis o princeps, ad te redi, ni medicus arte ſua, neque volenti, neque ſentienti ſuam mentem reddiderit. Si Caligulæ fidus adfuiſſet medicus non uſque ad pugionum ac venenorum ſcrinia in perniciem humani generis inſaniſſet. Atque ob eam ſane cauſam publica conſuetudine receptum eſt apud omnis orbis nationes, ne princeps uſquam gentium agat abſque medicis. Proinde cordati principes, nulli unquam arti plus honoris habuerunt, quam medicinæ. Quandoquidem Eraſiſtratus (ut reliquos taceam) Ariſtotelis ex filia nepos, ob Antiochum regem ſanatum centum talentis donatus eſt à Ptolomæo hujus filio. Quin & divinæ literæ iubent medico ſuum haberi honorem, non tantum ob utilitatem verumetiam ob neceſſitatem, ut in cæteros benemeritos ingratitudo ſit, in medicum impietas, quippe qui tanquam beneficij divini adiutor, id arte ſua tuetur, quod optimum nobis & chariſſimum largitus eſt deus, videlicet vitam. Parentibus nihil non debemus, quod per hos vitæ munus accepiſſe quodammodo videmur. Plus mea ſententia debetur medico, cui toties debemus, quod per hos vitæ munus accepiſſe quodammodo videmur. Plus mea ſententia debetur medico, cui toties debemus. Pietatem debemus his, qui hoſtem à cervicib' depulit, & medico non magis debemus, qui pro nobis ſervandis cum tot capitalibus vitæ hoſtibus quotidie depugnat? Reges ceu deos

ſuſpicimus

Digitized by Google

ſuſpicimus quia vitæ, neciſq; ius habere creduntur, qui tamen ut poſſint occidere, certe vitã non aliter dare poſſunt, niſi quatenus non eripiunt, quemadmodum ſeruare dicuntur latrones, ſi quem non iugulent, nec aliam tamen vitam dare poſſunt, quam corporis. At quanto propius ad divinã benignitatem accedit medici beneficiũ. Hominem iam inferis deſtinatum, arte, ingenio, cura, fideq; ſua, velut ex ipſis mortis faucibus retrahentis? Alijs in rebus profuiſſe ſit officium, cæterum in certo corporis animiq; periculo ſervaſſe pluſquam pietas eſt. Adde his quod quicquid in homine magnum eſt, eruditio, virtus, naturæ dotes, aut ſi quid aliud, id omne medicorum arti acceptum feramus oportet, quatẽnus id ſervat, ſine quo ne reliqua quidẽ queant ſubſiſtere. Si omnia propter hominem, & hominem ipſum ſervat medicus, nimirum omnium nomine gratia debetur medico. Si non vivit, qui vivit morbis obnoxius, & vitam ſalubrem aut reddit, aut tuetur medicus, an non convenit hunc ceu vitę parentem agnoſcere? Si res exoptanda eſt immortalitas, hanc medicorum induſtria, quoad licet meditatur, quæ vitam in longum prorogat. *Quid enim hic notiſſima referam exempla, Pythagoram, Chryſippum, Platonem, Catonem Cenſorium, Antonium Caſtorem,* cumque his innumerabiles, quorum pleriq; medicinæ obſervatione, vitam ab omni morbo liberam, neque fatiſcente ingenij vigore, neque concuſſa memoriæ ſoliditate, neque fractis aut labefactis ſenſibus, ultra centeſimum annum prorogarunt. An non
iſtuc

iſtuc eſt imortalitatis quam ſperamus, hic iam nunc imaginem quandam exhibere? Chriſtus ipſe immortalitatis autor ac vindex vnicus, corpus aſſumpſit, mortale quidem illud, ſed tamen nullis morbis obnoxium. Crucem non horruit, morbos horruit. An non plucherrimum fuerit, nos principem noſtrum in hoc quoque pro viribus imitari? Apoſtolos quorum neme ferè non multam vixit ætatem, cæſos legimus interfectos legimus ægrotaſſe non legimus. Quocunque pacto hoc illis contigit, certe preſtat idem ars medicorum, quod illis præſtitit ſua felicitas. Nec enim audiendos arbitror, qui nobis non minus indocte, que impudenter ſolent illud obijcere. Virtus in infirmitate perficitur ſomniantes Paulum gravi capitis dolori fuiſſe obnoxium, cum ille infirmitatem vel animi tentationem, vel quod vero propius eſt, improborum hominum moleſtam inſectationem appellet. Atque idem ille Paulus, inter apoſtolicas dotes donum curationis recenſuit. Iam auget & illud non leui argumento medicinæ gloriam quod & Cæſarearum legum maieſtas, & pontificiorum autoritas ſeſe ultro medicorum iudicio ſubmittit, velut in quæſtionibus pubertatum, partuum ac veneficiorum. Item in quæſtionibus aliquot matrimonium facientibus. O nova dignitas medicinæ. Agitur de capite hominis & iudicis ſententia pendet ex medici præiudicio. Summi pontificis pietas, ſi quid indulget in nonnullis

non

non aliter indulget niſi medicorum accedat calculus. Atque in decretis Romanus pontifex, epiſcopum eum qui delatus fuerat tanquam fœdo immanique morbo obnoxius, ex medicæ rei iudicio cenſet aut amouendum epiſcopatu, aut ſuo loco reſtituendum. *Diuus autem Auguſtinus ex medicorum conſilio fieri iubet quidque faciendum eſt, etiam ſi* nolit ægrotus. Idem honorem medico debitum, hoc eſt artis & induſtriæ præmium, recte eripi ſcribit ab eo qui detinet, velut ab iniuſto poſſeſſore, & quod alienum eſt mala fide occupante. Quin ij quoque qui conceptis præcaminibus, dæmones impios è corporibus humanis exigunt, non raro in conſilium adhibent, velut in his morbis, qui ſecretis rationibus, quædam ſenſuum organa ſpiritusque vitiant, & adeo dæmoniacam ſpeciem imitantur, ut niſi à peritiſsimis medicis diſcerni non queant, ſiue ſunt craſsiores aliqui dœmones, ut fertur illorum varia natura qui medicam etiam opem, ſentiant, ſiue morbus adeo penitus intimis animi receſsibus inſidet, ut a corpore videatur alienus. In cuius rei fidem dum ex innumeris mihi compertum exemplum refero, quæſo ut me patienter audiatis. Panaceum celeberrimi nominis medicum adoleſcens colui, is me teſte quendam reſtituit nomine Phlyarium, patria Spoletanum, qui ex vermibus in nouum maniæ genus inciderat, ita ut in morbo probe teutonice loqueretur, quod (uti conſtabat) ſanus nunquam potuerat. Quis impe-

imperitus rei medicę, non hunc demoniacum vel dei eraſſet etiam? At is hominem facili paratoq; remedio menti reddidit. Redditus ſibi teutonice nec loquebatur, nec intelligebat. Quod ſi quis hunc vere dęmoniacum fuiſſe contendat, ea ſanè res vel maxime medicorum illuſtrat artem, cui compertum eſt, & dæmones impios parere, quemadmodum in reſtituenda vita, ita & in exigendis ſpiritibus divinę virtutis tum miniſtrę, tum æmulę. Neque vero deerant, qui factum hoc magicis artibus tribuebant, quorum ego calumniam, arti noſtrę glorię laudique verto, per quam ea præſtantur, quę vulgus hominum humanis viribus præſtari poſſe non credit. Optimo igitur jure, priſcis ſeculis, cum nondum ſordidi quæſtus & ſpurcæ voluptates vitiaſſent omnia, medendi ars inter omnes una, divinis ac ſummatibus viris, opulentiſsimis regibus, clariſsimis ſenatoribus pręcipue cordi fuit, nec alia mortalium generi gratior. Siquidem Moſes ille magnus, non alia ratione, quā artis medicę cibos ſuos diſtinxiſſe creditur. Orpheus Græcorum vetuſtiſsimus, de viribus herbarum nonnulla prodidiſſe legitur, Homerus ipſe, citra controverſiam, unicus ingeniorum fons, plurimus eſt, & in herbarum commemoratione, & in laude medicorum. Is, & Moly, nobis depinxit, herbarum omnium teſte Plinio, laudatiſsimam, efficacem adverſus veneficia. Cuius inventionem Mercurio tribui, hac Vlyſſem ſuum

adverſus

adverſus Circes pocula præmuniens. Idem nepenthes indicat in conyivijs adhibendum, quod mœrorem triſtitiamque diſcutiat. Porro Machaonem, Pæonem, Chironem, Podalirium, ut hac arte præſtantes, ſæpicule non ſine honore commemorat, quorum arte non ſolum heroibus, verum ipſis etiam dijs ſubventum eſſe fingit. Illud videlicet ſubindicans, ſummis etiam principibus medicorum præſidijs opus eſſe. Atque horum vitam medicis in manu eſſe, qui in cæteros omneis ius vitæ ac necis habere videntur. Quid quod idem poeta, libro Iliados undecimo hujus artis profeſſionem longe pulcherrimo nobilitavit elogio? cum ait. Vnum medicum pluris habendum, quam cæterorum hominum permultos. Rurſum alibi, medicum ita notat, ut dicat eum eruditum in omnibus, palam teſtans id quod res eſt, hanc artem non una aut altera diſciplina, ſed omnium artium cognitione circuloque, tum præter exactum ingenium, multo etiam rerum uſu conſtare. Pythagoras ille Samius, cui divinitatem quandam tribuebat antiquitas, de naturis herbarum nobile volumen reliquiſſe legitur. Atque ut Platonem, Ariſtotelem, Theophraſtum, Chryſippum, Catonem Cenſorium, Varonem prætercam, quibus ſtudio fuit, hanc artem ſuis vel ſtudijs, vel negocijs admiſcere. Mithridatem Ponti regem, non perinde regnum, alioqui locupletiſsimum, non tam unius & viginti linguarum miraculum, quam

rei medicæ peritia nobilitavit, vereque magnum virum declaravit, qui artis huius commentationes, & exemplaria, effectuſque in arcanis reliquit, ut autor eſt Plinius. Cuius & hodie, nobile Theriacæ genus nomine celebratur. Nunc fere regium habetur, aleam ludere, venari, nugas agere. At olim populi Romani principibus, nihil magis erat curæ, quam ut ex longinquo novis importandis herbis, rem medicam adjuvarent, neque populo illi tum orbis domino non aliud erat munus gratius. Quid quod Chriſtus ipſe diſciplinarum omnium & autor & princeps ſeſe non Iureconſultum, non Rhetorem, non Philoſophum ſed medicum profeſſus eſt, dum de ſe loquens, negat opus eſſe medico ijs qui bene habeant, dum Samaritanus vulneribus oleum ac vinum infundit, dum ſputum terræ mixtum illinit oculis cæci. Quid quod idem, hac potiſſimum commendatione, cum adhuc orbi eſſet ignotus, ſe e paulatim in animos atque affectus hominum inſinuavit? Non auro, non imperijs, ſed morborum remedijs. Quod ille nutu fecit, nempe deus, hoc medicus pro virili ſua, cura imitatur. Neque deeſt his quoque divina vis nimirum medendi viribus, in hunc uſum rebus à deo inditis. Nec alio viatico magis inſtruxit Apoſtolos, mandans, ut hoc protinus officio ſibi devincirent, hoſpitem, medentes, inquit, morbis illorum, & ungentes oleo. Paulus ille magnus dum Timotheo ſuo modicum

dicum vini præſcribit uſum, ad fulciendam ſtomachi imbecillitatem, nonne palam medici partibus utitur? Sed quid hoc mirum in Apoſtolo, cum Raphael angelus, Thobiæ cæcitati medicans, hinc nomen etiam invenerit, apud arcanarum rerum ſtudioſos? O cœleſtem, vereque ſacram diſciplinam, cuius cognomento divinæ illæ mentes inſigniuntur. Inter mortales alij alias artes vel diſcunt, vel profitentur, hanc unam oportebat ab omnibus diſci, quę nulli non eſt neceſſaria. Sed o heu perverſiſsima hominum iudicia, Nemo neſcire ſuſtinet, quis numus legitimus ſit, quis adulterinus, ne quid fallatur in re viliſsima, nec ſcire ſtudio eſt, quibus modis id quod habet, optimum tueatur. In numiſmate non credit alienis oculis, in negocio vitę ac ſanitatis clauſis quod dicitur oculis, ſequitur alienum iudicium. Quod ſi totius artis abſoluta cognitio, non poteſt niſi paucis contingere, quam totam v.tam huic uni ſtudio dedicarunt, certe partem eam, quæ ad tuendam valetudinem pertinet, non conveniebat quenquam neſcire. Etiamſi bona pars difficultatis, non ab ipſa arte, ſed ab improborum medicorum vel inſcitia, vel ambitione proficiſcatur. Semper apud efferas etiam ac barbaras nationes ſanctum ac venerabile fuit amicitiæ nomen. Atque is egregius habetur amicus, qui ſe fortunę utriuſque comitem ſociumque præbebat, quod vulgus amicorum velut hirundines æſtate, rebus ſecundis adſint, rebus

 adverſis

adverſis,quemadmodũ illę ingruente bruma devolant. At quanto ſyncerior amic⁹ medic⁶,qui Seleucidum avium exemplo,quas narrant nuſquã à Caſij montis incolis conſpici, niſi cum illarum præſidio eſt opus adverſus vim locuſtarũ fruges vaſtantium rebus integris ac lætis nuſquam ſeſe ingerit,in periculis,in his caſibus, in quibus uxor ac liberi ſæpe deſerunt hominem,velut in phreneſi,phthiriaſi,in peſte ſolus medic⁹ conſtanter adeſt,& adeſt non inutili officio quemadmodum pleriq; cæterorum,ſed adeſt opitulatur⁹,adeſt pro capite periclitantis cum morbo dimicans,nonnunquam ſuo quoq;periculo. Et ô pluſquam ingratos,qui talis amici officio ſervati,iam depulſo periculo medicũ odiſſe poſſunt, ac non potius parentis vice colunt ac venerantur. Vulgarẽ amicũ,qui ſubinde ſalutat obvium,ad cœnam rogant qui latus claudit officio penſant,& talẽ amicũ ubi deſierint egere averſantur?& ob hoc ipſum averſantur, quod intelligant illius officio nullam meritis parẽ gratiam rependi poſſe. Quod ſi is optimus vir eſt qui maxime prodeſt reipub. ars hæc optimo cuique viro diſcenda eſt. Iam vero ſi qui ſint, qui rerum pretia malint utilitate quæſtuque metiri (licet hæc ars divinior eſt, quam ut huiusmodi rationibus ſit æſtimanda) ne hac quidem parte cuiquam aliarum cedit artium. Neque enim ulla magis fuit frugifera, & ad rem ſubito parandam ęque pręſentanea. Eraſiſtratus cuius ante memini, à rege Ptolomeo, Critobulus ab Alexandro Magno, præmijs ingentibus ac vix credendis

dendis

dendis donati leguntur. Quanquam quod tandem præmium non exiguum videatur, repenſum ſervatori capitis pro cujus unius ſalute tot hominum milia depugnabant? Quid ego nunc commemorem Caſsios, Carpitanos, Arumcios, Albutios, quibus Romæ tum apud principem, tum apud populum immodicum quæſtum fuiſſe refert Plinius. Quanquam quid nos hæc ex priſcis ætatib⁹ repetim⁹, quaſi non hodie cuique complures ſuccurrant, quos hæc ars ad Crœſi opes evexerit? Rhetorica, aut poëtica non alit niſi inſignem. Muſicus ni præcellat, eſurit. Iureconſulto tenuis proventus eſt, ni ſit eximi⁹. Sola medicina quomodocunq; doctum alit, ac tuetur, Innumeris diſciplinis, infinita rerum cognitione conſtat res medica & tamen frequenter unum aut alterum remedium alit idiotam, Tantum abeſt, ut hæc ars ſterilitatis damnari poſſit. Adde quod cæterarum artium non ubique paratus eſt quæſtus. Rhetor frigebit apud Sarmatas. Iuris cæſarei perit⁹ apud Britannos. Medicum quoquo terrarum ſeſe contulerit, ſuus comitatur honos, ſuum ſequitur viaticum, ut in nullam diſciplinam verius competat vulgatiſsimum illud græcorum proverbium, τὸ τέχνιον ἡ πᾶσα γῆ τρέφει. Sed hoc ipſum indignatur Plinius, aut certe apud hunc alij, quæſtum eſſe medicinæ profeſsionem. Major eſt, fateor hæc facultas, quam ut quæſtui lucroque ſerviat. Sordidarum id eſt artum, Sed nimis ingratum eſt, eam ſolam ſua fraudare gratia, cui nulla

par gratia rependitur. Egregius medicus ceu numen quoddam ſervat gratis, ſervat & invitos. Sed impietas eſt, non agnoſcere numinis beneficium. Nihil ille moratur mercedem, tu tamen dignus qui legibus mulcteris ob inſignem ingratitudinem. Iam haud quaquam me fugit, hanc egregiam artem & olim apud veteres audiſſe male, & hodie apud indoctos quoſdam male audire. Catoni non placuit, non quod rem damnaret, ſed quod ambitioſam græcorum profeſſionem non ferret homo mere Romanus. Iſque tantum tribuit experientiæ, ut artem eſſe noluerit, ſed idem univerſam græcorum philoſophiam ex urbe pellendam cenſuit. Exiſtimabat homo durus, ad purgandum hominis corpus ſufficere braſſicam & crebros vomitus, & tamen ille ipſe medicorum hoſtis, obſervatione medicinæ, in extremam uſque ſenectutem robur infractum tutatus ſcribitur. Solis, inquiunt medicis ſumma occidendi impunitas eſt. At hoc nomine magis ſuſpiciendi boni medici, quibus cum in manu ſit, non ſolum impune, verumetiam mercede occidere, tamen ſervare malunt. Quod poſſunt facultatis eſt, quod nolunt probitatis. Decantatur jam paſſim inter pocula temulentorum adagium. Qui medice vivit, miſere vivit. Quaſi vero felicitas ſit, diſtendi crapula, rumpi venere, turgeſcere cerviſia, ſepeliri ſomno. Sed iſtos Sycophantas quid opus eſt oratione refellere, cum ipſi petulantiæ

ſuæ

ſuæ ſatis magnas pœnas dant arti, mox podagra contorti, paralyſi ſtupidi, deſipiſcentes ante tempus, cæcutientes ante ſenectutem, iamque prius vituperatæ medicinæ, exemplo Steſichori, ſeram canunt palinodiam miſeri. Et tamen his licet indigniſsimis, artis bonitas non gravatur eſſe præſidio quantum licet. Sunt qui mutuato ex vetere comoedia ſcommate, vocent medicos σκατοφάγους. Quaſi vero non iſto nomine, vel præcipue laudari mereantur, qui quo ſubveniant hominum calamitatibus, ex illâ ſua ſublimitate ſeſe ad hæc ſordida deijciant. Quod ſi medicis tantum eſſet ſupercilij, quantum iſtis eſt procacitatis, liceret paſſim impune mori. Verum habet hoc ars noſtra cum bonis regibus commune, ut bene faciat, ac male audiat. Quod ſi maxime ſunt, ut ſunt in hoc ordine, qui ſe pro medicis gerunt, cum nihilminus ſint quam medici. Si ſunt, qui pro remedijs venena miniſtrant, ſi ſunt, qui ob quæſtum aut ambitionem ægrotis male conſulunt, quid iniquius eſt, quam hominum vitia in artis calumniam detorquere? Sunt & inter ſacerdotes adulteri, inter monachos homicidæ ac piratæ, ſed quid hoc ad religionem per ſe optimam. Nulla tam ſancta profeſsio eſt, quæ non alat ſceleratos aliquot. Votis quidem omnibus optandum, omnes principes eiusmodi eſſe, cujuſmodi decet eſſe, qui cenſeantur hoc digni-

nomine. Nec tamen ideo damnandus eſt principatus, quod nonnulli ſub eo titulo prędones, reique publicæ hoſtes agant. Optarim & ipſe medicos omnes vere medicos eſſe, nec in his locum græcorum proverbio πολλοὶ βουκέντοι, παῦροι δέ τε γῆς ἀροτῆρες. Optarim ab omnibus eam præſtari ſanctimoniam, quam Hippocrates ſacramento verbis ſolemnibus concepto à profeſſoribus exigit. Neque tamen huc non enitendum eſt nobis, ſi à pleriſque negligi conſpicimus. Sed quoniam huius argumenti tanta eſt ubertas, uiri præſtantiſſimi, ut difficillimum ſit in eo dicendi finem invenire, ne non præſtem, quod initio ſum pollicitus, tempeſtivum arbitror, univerſas eius laudes ſummatim complecti. Etenim ſi per multas res ſola commendat antiquitas, hanc artem primam omnium repperit neceſſitas. Si ſcientiam authores illuſtrant, huius inventio ſemper dijs attributa eſt. Si quod autoritatis addit honos, non alia tam paſſim ac tam diu divinos honores meruit. Si magni fiunt, quæ ſummis viris probantur, hæc ſummos reges, hæc primates, non ſolum delectavit, verum etiam illuſtravit. Si difficilia quæ ſunt ea ſunt & pulchra, nihil hac operoſius, quæ tot diſciplinis, tantarum rerum perveſtigatione uſuque conſtat. Si dignitate rem æſtimamus, quid excellentius, quam ad dei benignitatem proxime accedere? Si facultate, quid potentius, aut efficacius,

cacius, quam totum hominem certo exitio periturum ſibi poſſe reſtituere? Si neceſſitate, quid ęque neceſſarium atque id ſine quo nec vivere, nec naſci licet? Si virtute, quid honeſtius? quam ſervare genus humanum? Si utilitate, nullius uſus neque maior eſt, neque latius patet. Si compendio, aut hæc in primis frugifera ſit oportet, aut ingratiſſimi mortales. Vobis igitur magnopere gratulor eximij viri, quibus contigit in hoc pulcherrimo genere profeſſionis excellere. Vos adhortor optimi iuvenes, hanc toto pectore complectimini, in hanc nervis omnibus incumbite, quæ vobis decus, gloriam, autoritatem, opes eſt conciliatura, per quam vos viciſsim amicis, patriæ, atque adeo mortalium generi, non mediocrem utilitatem eſtis allaturi.

DIXI.

Digitized by Google

HIERONYMI CARDANI

Mediolanenſis, medici,

MEDICINÆ ENCOMIVM.

NEmo, ut opinor, facilius artem aliquam laudarit, quàm qui in argumentum inciderit per ſe abundans, ſplendidum atque illuſtre: nemo melius, quam qui quod laudare propoſuit, bene novit: nemo verius quam qui tractaverit exercueritque: ob hæc omnia, artem medicam & facile & bene ac vere laudare me poſſe ſpero. Quod ſi modo neque eloquentia neque facundia illa polleam, quæ tanto operi ſit neceſſaria, nec colores illos ac fucos, qui à rhetoribus addi ſolent, adijciam: meminerint quæ legent, tanto formoſiorem futuram orationem noſtram his ornatis apparatu, quanto naturalis pulchritudo commentitia atque fucata præſtantior eſt. Etenim cum oratio per ſe clara & ſplendida futura ſit ob artis excellentiam.

Ornari

Ornari res ipſa negat contenta doceri.

Nam ſeu ad Deos artis origo referatur, autores fuiſſe exiſtimantur pater & filius, Apollo ſcilicet & Æſculapius, ſi Ovidio credimus dicenti:

Inventum medicina meum eſt, opifexque per orbem.
Dicor,& herbarum ſubiecta potentia nobis.

Seu ad quoſcunque alios prima eſt inter omnes, & cum ipſo humanitatis ortu initium cœpit: nam nihil antiquius eſſe potuit ea cauſſa, propter quam inventa eſt, ſcilicet morbis incommodiſque mortalium: non nitar rationibus ut oſtendam quam antiquus fuerit Æſculapius? quam vetus proſapia Hippocratis? nam metuo ne potius fabuloſa eſſe illa dicatis, quam de vetuſtate dubitetis. Itaque his omiſſis, quæ minus neceſſaria ſunt negocio noſtro, quam dubia, ad ea quæ illius præſtantiam oſtendunt, quanquam mortalibus optanda ſit, tranſeamus. Ea vero in triplici genere collocanda videntur, ſcilicet utilitatis, pulchritudinis atque nobilitatis. Vtilitatis duplex mihi genus eſſe videtur: tum humano generi, tum ipſis qui eam exercent, maximum afferat emolumentum. Ipſis quidem mortalibus tantum certe affert, ut neque re ipſa, neque exemplo ulla alia ars poſſit ei comparari. Quid enim maius homini contingere poteſt quam morientes ad vitam revocare? quod feciſſe cum plurimos

rimos medicos conſtet, etiam mortuos ſuſcitaſſe quoſdam prædicant. Æſculapium enim & Hyppolitum & Tyndaridem à mortuis ad vitam, tum Æſclepiadem clarum medicum quendam à rogo revocaſſe referunt. Quinetiam alios maius quid morte paſſos, ut demonio malo obſeſſos, reſolutos, hydropicos, carcinomate laborantes, ſuſpirioſos, calculoſos, tabeſcentes, luxatos, leproſos, cæcos, ſurdos, oblivioſos, claudos, ſyderatos ſanaſſe melius eſt, & ipſa quotidiana experientia frequens. Dij quidem hac in parte ſola tyrannis, potentiores ſunt, quod cum tyranni ſolum obeſſe poſſint, dij ipſi etiam prodeſſe queant. Quamobrem & partem illam qua ipſi præſtant, etiam diviniorem eſſe atque illis propriam conſentaneum eſt. Quid cum in quibuſdam morbis adeo præſentem artis huius opem ſentimus, velut in anginoſis, ſynochis, colique doloribus ubi ſanitatem morti coniunctam perſæpe videre licet? Quamobrem & à Dijs tractatam, & eos qui tractarunt pro Dijs habitos hoc ipſo invento, divoſque ipſos ea indiguiſſe, nihil mirum videri debet. Omitto fabuloſa de Appolline, ut dixi, & Æſculapio. Chriſtus quem nemo addubitat Deum fuiſſe, nihil maius egit, nihil frequentius quam quod medicinam, ſed ſuo more (divino ſcilicet) exerceret, ægros omnis generis ſanando. Idque etiam per ſpiri-

tum

tum ſanctum diſcipuli verbis docet dicens: *Marc.* 6. *Iacob. c.* 5. Ægrotat veſtrum aliquis, advocet eccleſiæ ſeniores, qui eum in Domini nomine oleo ungant: pro eoque ſupplicent: & fidei ſupplicatio ęgrum ſervabit, eumque allevabit Dominus. Ille idem, ubi Dei nomen deponit, quaſi ex hominibus unus medici aſſumpſit. Sic etiam ex veteri lege Heliſæus Naamanum Syrum à lepra: angelus Tobiam à cæcitate liberavit. Extant & quotidie tabellæ in delubris appenſę, illorum qui divinis votis etiam divina ope liberati ſunt à morbis: ut opus ipſum ac finis in nullo ab his quæ à Dijs impetramus, diſſentiat. Hominum vero qui artem exercuerunt, atque ob id à vetuſtate divinitatis nomen & opinionem promeruerint, neque exempla deſunt, Chironis, Machaonis, Podalirij, Hippocratis aliorumque: adeo ut parum abfuerit quin Paulus & Barnabas ob id à Lyſtrenſibus pro dijs colerentur: ſed mos etiam nunc manet. Beatos enim ac ſanctos vocamus, atque in Divorum numerum referimus, quorum ſupplicationibus ſanitatem languentes adipiſcuntur: inter quos non minus ullo alio Rochus, vir pauper, ubique colitur: ut conſtet opinione hominum nihil tam eſſe divinum, quam hominum ſanationes. Quinimo & divi ipſi hac arte indiguiſſe, non ſolum eam exercuiſſe videntur. Homerus,

Τῶδ᾽

Τῶδ' ἐπὶ παίκηομ ὀδηνήφατα φάρμακα πά-
σῶμ. ἤκεσατ' ----

De Marte loquens. Ad quos alludit Virgilius de Venere, dum vulneratum Æneam curare ſtudent, dicens:

Hic Venus indigno nati concuſſa dolore
Dictamnum genetrix Cretea carpit ab Ida.

Quaſi etiam minores dij aut ope huius diſciplinæ indigerent, aut non ſine ea vellent quemquam curari poſſe. Quinimo cum Æſculapius in templo Epidaurio ferretur languentes per ſomnium ſanare, aut admonere de ipſa ſanatione, non aliud faciebat quam ut conquiſita illis ac præcipua auxilia oſtenderet. Sed a fabulis rurſus (ſi modo fabulæ ſunt) ad Divos noſtros redeamus. Ipſe Paulus, qui etiam mortuum ſuſcitaverat, Timotheo viro ſancto ſcribens, iubet ut vinum ob ventriculi imbecillitatem aſſumat: adeo vero hoc magni facit Beatus Auguſtinus ut parendum medicis adverſus etiam conſtitutiones ſuadeat. Occaſionum vero maximarum rerum, quæ vel ope medica reſtitutæ ſunt, ut in Alexandro Magno, per Philippum medicum: Athenienſibus, ab Hippocrate, dum peſte laborarent in Auguſto, per Antonium Muſam: ſeu perierint, velut cum per morbum C. Caligula ſeipſum & imperium Romanum peſſum dabat: & cum parum ante noſtram ætatem malè curato Bartholdo, militum claſsis Venetæ præfecto, res non ſolum Veneta,

ſed

ſed Chriſtiana inclinavit, Turcica evecta eſt (ne longius repetam) neque ulla ars magis fœcunda eſt: nec ſi exempla referre velim, dies ipſa ſuffectura ſit. Sed neque minus ipſis profeſſoribus utilis, quam languentibus aut etiam his qui ſani, quoquo modo illius ope uti volunt. Seu enim nomen ſeu divitias aut amicos parare velis, diſciplina nulla melius aut uberius præſtare poteſt. Omitto rationes, quæ omnibus manifeſtiſsimæ ſunt, ad ipſa exempla venio. Adeo vero in quibuſdam horum claret, ut non ſolum præcellat, ſed ſola ſit, nulla enim ars eſſe videtur, imo neque potentia ulla aut dignitas, quæ ſine invidia, ſine iniuria ſineque offenſa benefacere poſsit, quemadmodum ars medica. Divitias quæritis? hæc dat & tantas & tam repente, ut ſi exempla referre velim, fabulas narrare videar.

Omitto antiqua, quæ Hippocrati Artaxerxes obtulerit, quæ Phalaris Polycleto Meſſenio dederit: aut quæ Alexander Magnus Critobulo ſanato Philippo illius patre, quæ Democides à Polycrate Samiorum tyranno, qui etiam aureas compedes à Dario Perſarum rege accepit: quantum Crinas opum moriens reliquerit, cum jam vivens proprijs ſumptibus urbis muros inſtauraſſet: quoque Eriſiſtratus ab Antigono curato illius filio ſexagies mille aureos philippeos acceperit, duorum tantum exemplorum quæ paulo ante noſtram ætatem contigerunt, meminiſſe ſat

erit

erit. Thadeus Florentinus non niſi quinquagenis aureis coronatis in ſingulos dies pactis extra urbem proficiſcebatur. Idem cum ad Honorium Pontificem, eius nominis quartum vocatus eſſet, centenos pactus eſt. Et tamen longè breviore ſpacio quam trium menſium deciès mille accepit. Recitat Philippus Cominus Argentorati princeps laquem Cotierum in quinque menſium ſpacio præter pinguem, Epiſcopatum, accepiſſe quinquaginta quatuor millia aureorum coronatorum, à Ludovico Gallorum rege, eius nominis undecimo: cum tamen Rex ipſe eo morbo obierit, Sed ut mihi videtur non hoc donum fuit, quod quaſi vi, vel metu extorſit: non merces bonæ valetudinis, cum ut dixi, rex ipſe obierit, ſed latrocinium. Quinetiam medicorum familiam, quæ nunc in tota Hetruria regnat, à medico quopiam ortum habuiſſe veriſimilimum eſt. Quãobrem hac arte etiam ad regna paratur aditus: quo fit, ut etiam nobiliſſima ſit: neque reges ob id eam exercere puduit. Hermes Triſmegiſtus Ægyptiorum, Ponti Mithridates, Arabum Sabiel, Gyges & Sabor Medorum: fuit & Meſue regis Damaſci nepos. Sed non tam laudabile eſt à paucis probari., quâm ab omnib. Ab omnibus dico, quoniam quæ divinis ſcriptis & ſapientia immenſa probantur, omni laude digna prorſus ſunt. Inde illud Ioſuæ Syrachi: Medicum ſuis prꝗmijs affice, ut habeat ea quibus opus eſt: nam

eum

eum creavit Dominus. Eſt enim à ſupremo medicina, & à rege ſtipendium accipit. Medici ſcientia caput extollit, ita ut proceribus ſit admirationi. Dominus creavit ex terra medicamenta, quæ prudens homo non faſtidit. Nonne ligno dulcuit aqua amara, ut ejus vis ab hominibus cognoſceretur? Ipſe ſcientia hac donavit homines, ut ſuis miraculis gloriam conſequeretur. Per hæc medetur, eorumque dolores tollit. Ex his & compoſitiones facit ſeplaſiarius ad ſuavitatem, & malagmata ad valetudinem: nec ullus eſt ejus operum modus, ea eſt ab *illo* per orbem proſperitas. Fili, in morbo tuo Dominum ne neglige, & ipſe te ſanabit: amove culpam, rectas habe manus, & ab omni peccato cor tuum expurga: obmove ſuaves odores, & ſimilagnis monumentum, opimumque libamen, ut qui non conferas, & da medico locum, utpote cujus autor ſit Dominus: neùe à te diſcedat cum eo ſit opus nam & ipſi Dominum orant ut ſibi lenimentum ſecundet, & uitæ cauſa ſanationem. Qui in creatorem ſuum peccat, incidet in medici manus. Hoc teſtimonium: quo magis demiror eos qui preceptis neglectis, exutaque omni ob quæſtum & ambitionem prorſus humanitate, cum pro divino opere carnificinam exerceant, ſperare audeant ut vel mininæ portionis huius laudis ſint participes. Sed hæc mittamus, quæ omnibus bonis

 notiſ-

notiſsima ſunt: nobis verò ſi boni, ſi ſapientes, ſi artis periti non eſtis, fruſtra conabor perſuadere. Ad inſtitutum redeamus, non ſolum præconijs divina ſcriptura medicinam extollit, ſed ipſis operibus atque præceptis. Quid illa antiquæ legis inſtituta, ne carnibus animalium, quæ ungulam non diviſam haberent, non ſuillis, non ſuffocatis uterentur? de avium quoque delectu, ac cæterorum eduliorum de elephanticorum ſeparatione, de tot balneis & abſtinentia à Venere tempore fluxus menſium, nonne hæc omnia præter animæ repurgandæ commoda etiam valetudini bonę corporis ad amuſsim conveniunt? Simile eſt apud nos præceptum illud, quo diebus duobus in ſingulas hebdomadas (ita vocant ſpacium ſeptem dierum) à carnium eſu prohibemur, Nobis etiam præceptum eſt jeiunij quadraginta dierum: quod qui negligunt per luxuriam & impotentiam, ſępe magnis calamitatibus morborum, imò & intempeſtivę mortis opprimuntur. Sed non ſolum ſacris ſcripturis, verum etiam poetis, oratoribus philoſophis què commendatur Homerus.

ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Et Ariſtoteles in primo de Republica; Et patrifamilias & principi Reipublicæ medicina magis quam ars parandarum divitiarum neceſſaria eſt: hac enim res habetur, illa bona ualetudo. Nemini dubium eſt modeſta laude, ut ſolet eam omnibus artibus præpoſuiſſe: cum conſtet magis neceſ-

ſariam

ſariam eſſe patrifamilias bonam valetudinem, quam rem familiarem: & principi in Republica bene valere, utilius ſit quam opulentam habere Rempublicam. Et Plutarchus in libello de Bonæ valetudinis præceptis: At medicina (inquit) ſic eſt de numero diſciplinarum liberalium, ut politiæ ſplendore iucunditate nulla ſit inferior. Porrò mercedem magnam abunde addit ſui ſtudioſis, nempe corporis ſalubritatem ac proſperam valetudinem. Cicero majore medicinam honore dignatur, cum omnia ad illam referat commoda, quæ vitiatis animis aut corporibus aut caſibus adhibentur. Vt illud: Ita ſum levatus, ut Deus mihi aliquis medicinam feciſſe videatur. Vel id. Quibus autem artibus aut prudentia majòr ineſt, aut non mediocris utilitas quæritur, ut medicina, architectura? Talia multa non ſolum ille, ſed & quiſque fermè egregius autor de hac divina arte prædicat. Verum majora ſunt teſtimonia, quæ à miraculis artis ſumuntur, quam quę laudibus autoris. Veſpaſianus igitur imperator, ut majorem divinitatis opinionem nanciſceretur, Imperiumque ſibi & filijs ſtabiliret, medicę artis exemplo duos curavit infirmos. Quod etiam à Pyrrho factum legimus: & nunc Gallorum reges imitantur ſtrumas ſolo tactu ſanantes. Refert Eraſmus, noſtri ſecul imagnum decus, Calceranum medicum potione

quadam purgata, magna vermium multitudine hominem à dęmonio, quo Germanicè loquebatur, cum nunquam Germaniam viſiſſet, liberaſſe. tanta eſt huius artis vis, tanta excellentia, Non audita, non ſcripta referam, quæ ego vidi, quęque peregi ſolum recitabo. Laborabat mulier doloribus inteſtinorum aſſiduis, nec prodeſſe videbantur ſomenta, non lenia medicamenta, non excogitata vivendi ratio: adhibuimus catapotia, triginta octo dentes excluſit, rurſuſquè numerum alium non paruum, erant tamen e glutinoſa pituita, Ita hæc divina ars non ſolum corpora à morbis, ſed animos etiam à ſuperſtitione liberat. Quo minus demiror patrem Galeni ſomniis admonitum ut filium medicinę traderet, Hippocratem ut ad Democritum ſanandum pergeret, atque alia ſexcenta huiuſmodi Deorum curæ argumenta de hac ſacra diſciplina. Cacodæmonas propellere multi profitentur, ſed quotuſquiſque ſine ſulphure, vitis albæ aqua, alijsque eiuſcemodi acrioribus ac efficacioribus pharmacis (Vt manifeſtum ſit uim ineſſe arti, & dęmonas morbos eſſe, ſed occultioris cuiuſdam naturæ. Iam verò videmus quid ipſa per ſe omnibus externis ornamentis auxilijſque nudata polliceatur ac præſtet. Finem enim eius bene valere nemo negat: hocque tanti eſt, ut neque divitiæ neque gloria, nec potentia, nec filij nec amici, imo

ne

ne ipſa quidem ſapientia aut uirtus, ubi hoc ipſo deſtituamur, nos beatos efficere queat. Finge hominem morbo gravi atque inſanabili ad mortem properantem, quid illi bonum, quid dulce aut iucundum eſſe aut videri, aut ſaltem conditionis acerbitatem lenire poteſt? At medicina dum morbos amovet dum vitæ hominem reſtituit, omnium bonorum, omnium voluptatum, quas per illam conſequimur cauſa eſt. Quid alijs contigerit neſcio, patrem me filioſque meos ſuperſtites ob peritiam artis medicæ illius, ac meam planè ſcio Præter enim quod in rudem medicum facilè impingere fuiſſet in tam difficillimis ac penè deploratis morbis, multo verò facilius, imò certè in minus diligentem: nunquam ſane in quenquam, qui ſimul tam bene & artem & naturæ noſtræ propria noſceret, incidere potuiſſemus. Quamobrem cuique expediret propter ſe ſuoſque, etiam ſi medico uti vellet, artem ipſam tenere: ut quæ medicus perperam non ex arte, aut per incuriam, aut uſui ſuo ſuorumùe, aut naturę in commoda licet ex arte delinquit, corrigere poſſit Quæ etiam cauſa eſt, ut plerique optimorum medicorum modo non ſupra modum avidi ſint, divitiarum & ambitionis, aut caſu aliquo pereant, ad extremam ſenectutem ac ſatis incolumes perueniant. Nam Hippoc. prope centeſimum, Avenzoar etiam ad centeſimum trigeſimum

quintum annum perveniſſe, conſtans omnium opinio eſt. Cum igitur hac una diſciplina tot & tam magnis incommodis obviam eamus, procul poſita devitemus, ingruentia avertamus, iam opprimentia perturbemus, inſidentia expellamus ſive domi ſive foris ſive in ipſo itinere, à naſcentibus à nondum natis, à pueris, adultis, iuvenibus, ſenibus, quippe quæ illius incommoda adeo minuat, ut apud Ciceronem in Catone melior ſit conditio ſenis præſcripto viventis artis medicę, quam adoleſcentis luxurioſe ac nequiter (ita enim apud illum Cato de ſe ipſo gloriatur dicens Sed tamen (ut vos videtis) nan planè me enervavit, non afflixit ſenectus: non curia vires meas deſiderat, non roſtra, non amici, non clientes, non hoſpites. Et rurſus: Nemo adhuc convenire me voluit, quin fuerim occupatus. Poteſt enim exercitatio & temperantia, etiam in ſenectute conſervare aliquid priſtini roboris quænam utilitate illi conferri poterit? Ad dicetis, Romani tum hoc tanto commodo ſexcentis annis carere voluerunt, nec unquam fœlicius vixere quam cum ſine medicis civitas fuit. Nec perpetuo defuere Senatus conſulta, quibus medici philoſophique ac mathematici ex urbe tanquam peſtes noxiæ exigerentur. Qui mos etiam nunc apud Turcas viget, & tamen gente illa nulla ferocior, nulla felicior, nulla numeroſior. Cato quoque & Plinius eiuſdem artis ſunt ſcriptores & accuſatores egregij.

gregij. Adrianus etiam Imperator illud vulgatum reliquit moriens.

πολοὶ ϛρατηγοὶ καρίαν ἀπώλεσαν,
πολλοὶ δ' ἰατροὶ τὸν βασιλῆ ἀπώλεσαν.

Videntur etiam morbi ad perfectionem animi facere. Et Platonem referunt quæſiſſe locum in urbe minus ſalubrem in quo habitaret: quoniam exiſtimaverit robuſtiore in corpore animi vires magis langueſcere. Hæc & talia multa à paradoxis parum abhorrentia, quæ magis defendi ſolent ad artis oratoriæ vires oſtentandas, quam quod vel vera ſint, aut veris ſimilia, digna reſponſione non exiſtimans, prætereibo: atque illos potius ęgros eſſe iubebo, deinde felicitatem ſuam prædicare, animique fortitudinem extollere ſinam. Quonquam quod ad Platonem attinet nihil minus credendum ſit quam ut ex habitatione morbum quæſierit, cum mille modis alijs morbi cauſas quærere potuiſſet: nec familiares amices clientos, diſcipulos in idem conijcere periculum, atq; prodere, Sed ſi modo vera hæc ſunt, forſan hac ratione devitare frequentiam voluit ipſe ſibi confidens propter eximiam omnium abſtinentiam. Itaque utcunque res ſe habeat, omnia potius ſunt excogitanda, quam quod inutilis ſibi atque alijs eſſe voluerit. Quinimo potius hac ratione ſtudijs ſuis operam dare, atque libellis ſuis quos quotidie factitabat incumbere. Romanos vitaſſe medicinam, cum vitando illam maximè obſervaverint,

nego, medicos concedo : quod & Turcæ factitant : nam & inediam ſervant, & catapotia devorant, alijſque præſidijs artis utuntur, velut etiam venæ ſectione. Itaque maluerunt artem imperfectam habere ſecuram, quam eum periculo in tanto hominum perfidia perfectiore frui. Quanquam perfectio ad paucos perventura foret, fraus in multos. Hæc ratio Romanorum ac Barbarorum plerumque quæ non in artis vituperationem, ſed artificum ſolum cedit. Poſſem me excuſare de inculto ævo, de rudi gente, de ferinis moribus ſed nobis à veritate ipſa diſcedere haud licet. Qui vero illud adducunt ex ſacris literis, Fortitudo mea in imbecillitate perficitur: verbum ἀσθενία non recte interpretantur, ut quidam imbecillitatem alij abſurdius infirmitatem, etiam pro infirmitate morbum intelligentes, cum nullus Apoſtolorum aut diſcipulorum in Sacris literis unquam legatur ægrotaſſe : ſed verbum illud ut à Paulo interpretandum eſt, infortunijs ſeu calamitatibus : quales explicat, carceres, verbera, accuſationes, contumelias, atque eiuſmodi. Quod vero ad exercitationem attinet (hoc enim ſecundum eſt genus eorum, à quibus nobilitatis, decoris, utilitatis ac voluptatis ratio ſumi debet) nulla in parte alijs inferior artibus eſt. Vbique habet quod agat torpet Imperator ſine milite. Iuris conſultus inter arma ſilet, nec niſi magna cum mole librorum conſulere poteſt: præ-
ſcriptos

ſcriptos habet limites, inter quos iudicet, neque enim affinibus, aut cognatis litigantibus iudicem ſe poteſt exhibere Provocationem habet iudicis ſententia, tametſi iuſta, medicorum conſulta non habent. Raro Iuriſconſulti de vita, medici ſemper de ſumma rerum tractant. Vitari poteſt iudicium dominatio, compoſita inter partes lite, ſed non cum morbis pax aut induciæ vel pacta intercedere poſſunt. Auxilium medici die noctuque præſto nobis adeſt, beneficium ſine offenſa, lucrum voluntarium non exortum, gratia principum, favor populi, amicorum multitudo, exiſtimatio, opes divinitatis opinio. Rhetor friget apud pleraſque nationes, nunquam in eadem cauſa ab omnibus probatur: ſæpius iniuſta quam iuſta conſulit, innumeris occaſionibus impeditur: non ſine multis verbis, non ſine magnis ſtudijs, non abſque ingenii excellentia, ac memoriæ tenacitate, denique non ſine maximis animi ac corporis æſtubus, ad gloriam aſcendere poteſt aut finem ſuum obtinere. Medicus ubique invenit præſidia, ſeu ex horto dum ſpaciatur, ſeu incultis locis dum iter agit, ſeu domi, ſeu apud pharmacopolas. Mediocre ingenium, mediocris memoria, labor mediocris: modo recta voluntas non deſit, nec plus velis quam poſſis ſufficiunt. Obiicies intempeſtivos labores, vigilias, iudicia quorundam perverſa, qui etiam bene acta perperam quaſi inconſulto facta calumniantur: inopinatos

pinatos præterea caſus, inſidias aliorum medicorum & maledicentiam: tum quod maximum eſt, aſſiduam & ſervam operam, adeò ut miſerior ſit quacunque alia arte. Quin etiam verſari perpetuo inter fœdia & triſtia, ut olim ſervorum tantum eſſet officium. Sit ita ſane: nonne omnia hæc quæ videmus, quæque obſcœna & fœda vocas nobiſcum ferimus, intuſque habemus? Neque triſte eſt verſari cum convalituris, ſed iucundum: nam morituri presbyteris relinquantur. Reliqua nulli contingunt, niſi ei qui per imprudentiam labitur, aut qui vitam & eius commoda pro ambitione & lucro venditat: mihi inquam totis triginta annis, quibus medicinam exerceo, vix triginta vicibus, imo ne tot quidem, hi caſus obtigerunt: non ſervietis ullis, ſi artem ea integritate exercueritis, ut illi potius qui noſtra opera utuntur, nobis ſerviant, quam nos illis. Præterea cognoverint vos nullis pecuniis adduci poſſe ut ſerviatis: ergo integrum cuique relinquitur vel legitime artem exercere, nec cuiquam ſervire: aut ſervire, nec legitime artem exercere, ſed obiter & pro illius fine propoſita vana gloria, ambitione opibuſque. Iudicia vero imperitorum vulgique ac vanas obtrectationes quiſnam unquam effugit ſeu hac ſeu alia in arte? habet tamen hoc commodum medicina, quod terra celerrime, quicquid evenerit ſiniſtri, obtegit atque occultat. Ei vero qui peritus eſt, nihil horum vix in tota

vita

vita bis abſque certa prediĉtione, adeo ut liber ſit ab omni culpa, evenire potuerit. Porro de aſſiduitate & ſerva opera non contendo, habet omnis dignitas, omnis virtus, omnis divina operatio, ſecum coniunĉtam aſſiduitatem. Cœli nunquam ab opere ſuo ceſſant, non natura, non mens, non Deus denique ipſe: quid miraris ergo eum qui medicinam reĉte exercere velit, perpetuo quaſi operi mancipatum eſſe? Illud ſolum quod paucisſimi animadvertunt, forſan malum eſt, extremo morbo cognoſcere ac ſcire ſe moriturum. Sed huic malo (ſi modo malum eſt mori probo viro) multis modis occurritur. Primum, quod multi abſque morbo intereunt: deinde, quod breve eſt illud mœroris ſpacium: demum quod unicuique ſi libeat, vitare hanc curioſitatem liceat, nec lotia inſpiciendo, neque venas tentando. Ergo de exercitationis commodis hæc ſufficiant: quæ ut non mediocri admiratione digna ſunt, ita quicquid in contemplatione repoſitum eſt, plane divinum eſt. Eſt autem hæc tertia pars & non minima laudis eius. Quærit medicus, an morbi, an ſanationes à Deo immittantur, quemadmodum facit Hippocrat. ſurſumque mentem dirigens, Theologus evadit. Idem quid ſit anima, an mortalis an immortalis, idem quid aſtra poſſint, & eodem modo an ab illis morbi ſanationeſque pendeant, ab ijſdem enim utrumque fieri, à quo alterum eorum fiat veriſimile eſt. Ita motus ſiderum, &

exor-

exortus conſiderans, atque occaſus,tempora quoque geniturarum reditus non mediocrem aſtrologiæ partem tractat. Inde ad ventos, anni conſtitutiones, pluvias, ſerenitatem aut nubes ſiccas, frigora caloreſque Metheorologicum dicetis exquiſitiſſimum. Rurſus cum domorum conſiderat ſtructuram commodaque, archietectum peritiſſimum. Quibus ventis exponendæ feneſtræ,porticus, atrium: quibus lignis conſtare debeant ædes: quæ cubicula aut cœnacula & quomodo conſtruenda, ut hyemali ſole tepeant, æſtiva aura refrigerentur. Mitto coquorum artem, quam penitiſſime oportet ut norit, totque alia quæ nunc enumerando potius ad oſtentationem protrahi oratio forſan videri poſſet, quam neceſsitatis cauſa recitari: hæc ſolum adijciam, quæ ad medicum tantum pertinent, eique ſunt propria: quorum ſcientia adeo admirabilis eſt, ut unus medicus plura ſcire videatur, quam univerſi alij artifices aut Philoſophi. Quid enim maius dici apud mortales aut excogitari poteſt, quam hominem unum non ſolum noſcere plantas omnes ac fructus tum lapides, metalla piſces, aves, ſerpentes, quadrupedia membraque illorum univerſa: ſed generationem tum illorum tum etiam eorum animalium quæ inſecta dicuntur? ſed formam & regiones ubi naſcantur, quæque optima peſsimave ſint? & quod maximum eſt, vires, ſecretaſque potentias ac miracula? Vt ſi

hac in parte medicus philoſopho conferatur, videatur ſane philoſophus parvulus, viro comparatus. Nonne medicus herbas, arbores, fructus, ſemina, flores ſolus depingit? ſolus quid poſsint novit? atque idem in omnibus quę terra producit facit? Quid dicam poſt modum de diſſectione illa admirabili corporum noſtrorum, deque notitia uſus uniuſcuiuſque partis? Ille ſolus vim etiam elementorum novit, ille morum perturbationes etiam ſanare docet: nonne hæc (ingenue fateamur, quæ manifeſtiſsima ſunt) prope ad divinitatem accedunt. Quid ſubtiliſsima illa pulſuum atque urinarum cognitio, ac adeo admirabilis, ut multi eam eſſe negent, in qua cum natura ipſa cum ipſo rerum opifice (ſed tamen id mementote, omnem humanam ſcientiam umbram quandam eſſe, cum ad divinam immenſitatem comparatur) contendere velle videtur? quid dicam de divinis medici periti oraculis in prædicendo, cum & mortem & ſalutem, & tempora & qualitatem adeo norit, ut nullus vates, nulla deorum reſponſa mereantur illis conferri? Quamobrem & de quorundam improbitate queri licet, qui & hoc tantum miraculum non ſolum in ſeipſis ob imperitiam perire ſinunt, ſed etiam ex tota arte adimere conantur, audentq; inficiari, quod illi ob ignorantiam & avaritiam ac ſuperbiam efficere nequeunt, neque fieri poſſe, nec artis ipſius partem eſſe.

Acceſsit

Acceſſit huic tanto ſpectaculo ac tam præclaro invento quorundam nuper ſtrenuiſsimorum Heroum (ita enim merentur appellari) laboribus facunda oratio ac latina, ut nihil nunc ſuavius aut iucundius legi poſsit, ut vere nunc huic diſciplinæ Horatianum conveniat.

Et prodeſſe volunt, & delectare poetæ,

Quorum princeps fuit Nicolaus Leonicenus Vicentinus, poſt quem ſequuti ex Germania, Gallia, Anglia, Italiaque multi alij : Laurentianus Copus Andernacus, Cornarius, Rheginus, Linacer, Cruſerius, Vaſſeus, Gerardus, Rota, Felicianus, Fichardus, Craſſus, Sylvatrius, alijque plures : ut nec Sicilia huius honoris expers fuerit Balanio ſuo interprete, nemo in his requirat ordinem, nemo ſe prætermiſſum quæratur. Sed ut nobis in mentem venit, ita retulimus. Ob quæ commoda & iucundam lectionem hæc diſciplina iam à nullis prætermitti ſolet. Memini vidiſſe Andream Alciatum, noſtræ ætatis magnum lumen, operam dantem Galeni libris. Quid Eraſmus? Budæus? Rhodiginus? partim Iuris conſulti, partim Theologi : omnes facundia Græca latinaque viri ornatiſsimi, & qui ſuorum laborum præclara monumenta poſteris reliquerunt. Sed & antiquorum, ut Ælianus autor eſt, Pythagoras, Plato, Ariſtoteleſque medicinæ operam dederunt. Quæritis forſan quinam hac in diſciplina viri claruerint? nimis apertum eſt quam ut referatur. Quis

neſcit

neſcit Hippoc. illius fuiſſe principem, continua ſucceſsione ab Æſculapio deducta: Donatum quoque ſi vera filius eius refert, ab Athenienſibus civitate & ſtatua. Proximus illi Galen. imperatoris medicus: cuius pauciora extant monumenta quam vellemus, plura quam credere fas ſit, hominem potuiſſe ſcribere. Poſt quos Græcorum, Arabum & Latinorum magnus numerus eſt illuſtrium virorum: nec noſtro ævo deſunt, qui ſuis laboribus, induſtria diligentiaque aut amiſſa iam recuperarunt, aut etiam ſcriptis ſuis ad artem multa adiecerunt. Itaque ob hæc tot tantaque privilegia à nobis laudari, & à vobis ac ab omni inter divina munera conſecrari meretur.

Encomij Medicinæ Finis.

Digitized by Google

Digitized by Google

PHILIPPI MELANCHTHONIS
ORATIO
DE ARTE MEDICA,
Sive
DE HONORE HABENDO
CORPORIBUS NOSTRIS.

GRauiſsimè præceptum eſt in doctrina Eccleſiæ, honorem tribuendum eſſe corpori humano. Qua adpellatione non tantum hoc ſignificatur, quod Philoſophi dicerent, tuendam eſſe valetudinem, & depellendos morbos, ſeu conſeruandas eſſe vires corporis, quantum fieri poteſt. Sed cùm honos nominatur, cauſa comprehenditur, propter quam valetudo magna cura tuenda eſt; videlicet, quia corpus ad diuinos uſus conditum eſt. Significat enim honos confeſſionem antecellentis bonitatis, quæ primùm Deo debetur; deinde cum transfertur ad alias res, tamen propter Deum eis tribuitur, ut honorem tribuimus parentibus, imperijs, artibus, legibus. Artes enim ac leges ſcimus radios eſſe ſapientiæ, quæ in Deo eſt æterna & immota, per quos ſeſe vult agnoſci & vitam regi. Sic imperia ſcimus ordinem eſſe ſapientiæ Dei, & conſeruari à Deo,

acintelligimus velle Deum nos illi ordini ſubiectos eſſe. De parentibus verò ſcimus, & caſtitatem coniugij, arcano Dei conſilio ſancitam eſſe, & generationem Dei opus eſſe, & ab ipſo conſeruari, & velle eum ut ſit mutuum fœdus & mutua ϛοργη inter parentes & natos, quam uult eſſe commonefactionem de ſuo amore erga filium & erga nos. Ita cuicunque rei honorem tribuimus, ſignificamus aliquod in ea diuinum bonum eſſe, propter quod ea res & conſeruanda & anteferenda eſt cæteris rebus. Sicut Ariſtoteles inquit, τίμιον eſſe quiddam diuinum.

Cum igitur prçcepit cœleſte mandatum,ut corpora noſtra honore afficiamus, quærendum eſt quæ res diuina propria ſit corporum noſtrorum, quę tamen videmus eſſe fragiles maſſas ceu teſtas ex luto concretas. Hic primum de cauſſa finali dicam.

Quanquam hæc corporea moles ex luto facta eſt, tamen ad hunc uſum condita eſt, ut in tota æternitate domicilium & templum ſit Dei, & organum actionum dei maxime admirandarum. Naſcuntur in corde vitales ſpiritus, & inde ſurſum magni halituum æſtus velut Euripi vehuntur in cerebrum, qui poſtea cerebri familiaritate mitiores & lucidiores facti, cerebrum adiuuant in cogitationibus formandis,illi vero fluctus,qui ſunt in thalamis cordis, accendunt affectus.

In hanc totam halituum ſcaturiginem, vere ſe inſerit

inſerit divinitas : In cerebro format noticias lucidiores, & firmiorem adſenſionem : in Corde adfectus tales, qualis eſt ipſe Deus. Ad hunc uſum cum condita ſit hominum natura, & ut ſcriptum eſt, cum velit Deus omnia in omnibus eſſe, recte dictum eſt, Corpus honore adficiendum eſſe. Cogitemus igitur quanta ſcelera ſint expellere Deum ex hoc ſuo domicilio, ut ejiciunt qui ſe libidinibus aut aliis flagitiis contaminant : vel omnino deſtruere hoc templum, ut magna multitudo hominum perdit corpora ferro & aliis machinis : Sed multo plures crapula, illuuie, contemptu remediorum. Hæc lues vere ἐπιδήμιος aſſidue per totum genus humanum vagatur. Hæc magna & atrocia ſcelera agnoſcenda & corrigenda ſunt, Et ſæpe cogitandæ ſunt cauſę, cur Deus iuſſerit honorem habere corpori.

Dixi de cauſſa finali quia ſit conditum ut ſit templum Dei. Conſideremus etiam ipſius opificii artem, quæ cum vere ſit divina, ut oſtendat qualis ſit Deus, propter hanc cauſam etiam corpus honore adficiendum eſt. In Deo præcipuæ res ſunt, ſapientia, veritas, bonitas, beneficentia, iuſtitia, caſtitas, conſtantia in bono, quod ipſius ſapientia diſcernit à malo. Item, liberrima electio. Sic eſt autem conditus homo, ut membra corporis ſint harum optimarum rerum inſtrumenta, In cerebro lucent noticiæ & veritas, intellectus numerorum, radii legis divinæ, diſcer-

Digitized by Google

nentes recta & non recta. Et à cerebro nervi oriuntur, qui cogitatione impelli poſſunt, & externa membra vel cient vel coercent , ut actiones cum recto iudicio congruentes effici poſſint, ut cum Achilles ardens ira non iniuſta, gladium ſtringeret, tamen cum tacita cogitatio nervos ceu habenas iuberet retrahere manum, nerui & manus recto iudicio obtemperant. Hanc ſapientiam, libertatem, virtutem, adhuc utcunque in hominum natura reliquam eſſe videmus etiamſi languidior eſt, quam qualis initio condita eſt. Voluit tamen Deus in nobis adhuc lucere de ſeſe teſtimonia & ſignificationes, quæ commonefaciant, qualis ſit ipſe. Hanc in opificio hominis artem divinam eſſe fateri neceſſe eſt.

Hæc commemoravi non tam prolixe, ut magnitudo rei poſtulat, ſed ut hoc tempore potui, ut auditores omnes ad cogitationem divinæ ſententiæ invitarem, quæ præcipit, ut corpora noſtra honore adficiamus, ac duarum rerum cogitationem adiungi volo, videlicet priorem de noſtra negligentia in tuenda valetudine & conſervando domicilio Dei, alteram de præſidio neceſſario, videlicet de arte Medica.

Profecto multum peccamus omnes, quod neglecto ordine in cibo, poſu, ſomno, laboribus, denique in omnibus motibus animi & corporis, adfligimus naturæ uires, impedimus in nobis lucem

lucem diuinam permixtam noſtris ſpiritibus, denique ante tempus nobis ipſis mortem conſciſcimus. Hæc fiunt ab alijs magis atrociter, ab alijs minus, ſed tamen omnes in hoc genere peccamus. Ac ſi quis putat hæc non eſſe curæ Deo, ualde errat. Toties enim repetita ſunt præcepta, Non occidas, Non grauenter corda veſtra crapula, Honorem habete corpori, Homicidæ, ebrioſi, ſcortatores regnum Dei non poſſidebunt. Qualis autem eſt hoc tempore plurimorum conſuetudo, qui conueniunt ad crebra conviuia, ut Lapithæ & Centauri, ibi cum ſe onerarunt ſine modo cibo & potu, poſtea tumultuantur, et hos mores, ſeu fortitudinem, ſeu hilaritatem ſine vitio eſſe exiſtimant. Tu verò non iudicas ſcelus, quod paulatim tibi mortem conſciſcis, quòd domicilium Dei deſtruis, quod nunc in præſentia aut expellis aut arces Deum, quo minus lætari tuæ mentis & cordis tui poſſeſſione queat. Non magnum malum cenſes, quod multos dies temulentus et furens ſine inuocatione Dei, & ſine meditatione de Deo viuis. Extrema deniqe hæc calamitas eſt, quod excluſo Deo irrūunt in prophana pectora Diaboli, qui impellunt alios, ut mox ruant in cædes, alios ita tenent captiuos, ut poſtea in Repub. faciant eos patriæ, peſtes, & ἀλάστορας generis humani, quales fuerunt Catilina, Antonius, & ſimiles. Vtinam horum magnorum delictorum turpitudo cogite-

tur, & agnoſcatur ira Dei, & multi abijciant hos malos mores, qui & priuatim multis exitio ſunt, & totas gentes, Eccleſiam & imperia perdunt.

Hæc prius dicere neceſſe eſt, quoties de arte Medica dicendum eſt. Nam qui ſ[illegible]renter perdunt corpora, nec Deum vindicem metunt, nec ullam moderationem in vita amant, his fruſtra de ſapientia Dei, & de ordine ſeruando in victu & in medicatione concionamur.

Poſtquam igitur de emendatione morum breviter dixi, nunc addam pauca de arte Medica, quæ monſtrat vitæ præſidia, neceſſaria partim ad tuendam valetudinem, partim ad depellendos morbos. Hic ſi quis adeò barbarus eſt, ut nihil moueatur manifeſta utilitate in vulnerum curatione, in reſtitutione fractarum aut laxatarum pratium, & multis interiorum morborum depulſionibus, ac omnem naturæ conſiderationem, ac totam artem Medicam, & artifices omnes contemnat, ut ſunt quidam Titanum ſimiles, qui etiam cœlo bellum inferunt, Hos non conor diſputando ad ſanitatem revocare, ſed ut Titanes diſsipati ſunt audito horribili clamore aſini, cui Bacchus inſidebat in prælio, ita iſti tandem aliquo aſinorum clamore perterrefacti, pœnas dabunt, quod Deum & res diuinas contumelia adfecerunt. Alios autem alloquor ſaniores, hos oro, ut uniuerſam hanc rerum naturam intueantur,

tur, & cogitent eam non ex Democriti atomis caſu & ſine mente conflatam eſſe, ſed ſumma arte à Deo opifice, ſapiente, bono, benefico, caſto & vindice ſcelerum, conditam eſſe & conſeruari. Hic voluit ordinem in toto opificio teſtimonium de ſeſe, & de prouidentia eſſe.

Longum autem eſſet de ordine in multis naturæ partibus dicere, de ſitu corporum mundi, de ordine motuum cœleſtium, de vicibus temporum, dierum, noctium, hyemis & æſtatis, de annua fœcundatione terræ, de plantis, de animantium generibus, de fabricatione humani corporis, de firmis & æternis noticijs in mente humana. Tantum hic pauca de ordine in victu & medicatione corporum dicam.

Res ipſa oſtendit, ſingulari conſilio Deum tanquam Patrem fideliter nobis proſpicientem, diſtinxiſſe res naſcentes, & alias velle nutrimenta eſſe, alias remedia. Quis enim veſci poſsit Maſtiche, Achilleide, Gentiana, Myrrha, Aloe, aut multis alijs quæ in medicatione vulnerum conſtat eſſe ſaluberrima. Flexit etiam Deus mentes certorum hominum ad conſiderationem remediorum, & inquiſitionem adiuvit, quo in ſtudio animaduerſum eſt, mirificam varietatem virium in res naſcentes ſparſam eſſe, ut aliæ opem ferrent alijs membris, aliæ præſidia eſſent contra alios morbos.

Hæc igitur naturæ aſpectio, reuera eſt conſi-

deratio diuinæ ſapientiæ, bonitatis. & beneficentiæ erga nos, deinde & utilem eſſe vitæ manifeſtum eſt. Quare & propter gloriam Dei, & propter noſtram utilitatem hanc dulciſſimam doctrinam amemus, & grati beneficijs Dei fruamur, & eius ſapientiam & bonitatem celebremus, & ſciamus nos ei tantæ curæ eſſe, non ut huius fugaciſsimæ vitæ curriculo confecto, poſtea inomni æternitate nihil ſimus, ſed ut in illa tota æternitate conſuetudine eius fruamur, & veram eius ſapientiam diſcamus, ad quam iter uult eſſe & tyrocinium huius breuis vitæ ſpacium.

Nequaquam enim fiunt ciues Eccleſiæ cœleſtis, qui in hac vita doctrinam de filio Dei diſcere noluerunt.

Tales erant & Phyſicæ & Theologicæ diſputationes ſummorum hominum, primorum parentum, & deinde Nohæ & filiorum, & poſtea Ioſeph in Aegypto. Neque enim hanc philoſophiam ab Aeſculapio primum inchoo, qui non diu ante bellum Troianum natus eſt, cum filij Podalirius & Machaon exercitum Greæcum ad Troiam ſecuti ſint. Antecedit autem annis ferè mille annus diluuij, in quo familia Nohæ ſeruata eſt, tempus belli Troiani.

Fuiſſe autem in Noha conſiderationem naturæ eximiam inde æſtimari poteſt, quia & animantia congregauit, & in arca toto anno pauit, & poſtea filijs ſuis vites oſtendit, quas non exiſtimo

mo tunc primum creatas eſſe, ſed primun ipſi in ultima ſenecta monſtratas eſſe à Deo, quia Deus foueri languefactum corpus ætate, pleniore iam potu voluit, ac ſimul ſignificauit venturæ poſteritati, quæ er at futura imbecillior, opus fore deinceps tali potu.

Ac diu in familij regijs doctrina Medica & conſeruata & propagata eſt, celebrata eſt Chironis Centauri ſchola, qui Achillem docuit artem Medicam. Et Eurypyli vulnera curat Patroclus remedijs quorum uſum ab Achille didicerat. Ac Homeres *πικρὰν ῥίζαν* nominat, quœ veterum Scriptorum iudicio eſt *ἀριστολοχίαν*. Sed omitto orationem de artis initijs, quia nihil dubium eſt, primorum patrum ſapientiam hanc fuiſſe, explicationem legis diuinæ & promiſſionis de Mediatore, & de reconciliatione, de cauſis calamitatum humanarum, & de reſtitutione vitæ æternæ, ac deinde conſiderationem naturæ. Certe enim ab his anni deſcriptionem accepimus, & agriculturam, & panis coquendi artem. Ac Siracides recte adfirmat utrumque, & remedia ipſa Dei opera eſſe, & artem à Deo oſtenſam eſſe. Sic enim de remedijs inquit: Dominus condidit ex terra pharmaca, & vir prudens non faſtidit ea. quæ ſententia & autorem remediorum oſtendit, & his Dei beneficijs uti, & gratis mentibus Deùm celebrare iubet. De Medico autem inquit: Da locum Medico,

dico, nam & ipſum Deus creauit. Item, Honora Medicum, quia propter neceſſitatem Deus eum creauit, id eſt, Non remedia ſolum condidit Deus, ſed etiam flexit mentes certorum hominum ad eorum inquiſitionem, adiuvit ſtudium, & regit conſilium, & dexteram medicantis, nam ſine Deo non eſt fœlix medicatio. Ipſe eſt enim, ut ſcriptum eſt, uita & longitudo dierum. Item, In ipſo viuimus, ſumus & mouemur. Verè Deus eſt vitæ fons & largitor: ſed uult nos reuerenter uti ijs rebus, quas vult eſſe vitæ adminicula, quæ ita ſunt efficaces, cùm ipſe eas adiuuat. Ita volumus ad medicationem adiungi & inuocationem Dei, & celebrationem beneficiorum eius. Hæc officia Deo grata ſunt, non illa barbaries quæ & Deum, & veſtigia Dei in natura, & naturæ conſiderationem, imò totum vitæ ordinem contemnit. Quam ob cauſam? quia legibus, literis & doctrinæ inimica eſt, ac metuit ſuis cupiditatibus frenum inijci legum & doctrinarum vinculis. Ex hoc fonte doctrinarum odium oritur, non ex religione, etſi quidam prætexunt religionem. Vos verò qui ideò doctrinæ ſtudijs dediti eſtis, ut Deum & Dei opera à rebus malis diſcernere, & Deum rectè inuocare diſcatis, & amplectamini res bonas, agnoſcite hanc eſſe normam doctrinarum.

Hæ doctrinæ expetendæ ſunt, quæ opera Dei rectè monſtrant, & in eis oſtendunt teſtimonia

de

de eo, confirmantia adſenſionem de prouidentia, ut excitentur mentes ad celebrandam eius ſapientiam, bonitatem, & beneficentiam erga nos, & quarum doctrinarum uſum prodeſſe Deus generi humano voluit. nec delectet vos illa Cynica ſapientia, quæ plauſus apud ſtultos captat vituperatione doctrinarum, & ordinis, quem Deus in tota natura, & in viſa hominum ſanxit. Nobis quidem, qui mediocri ſedulitate doctrinam propagamus, & magno labore ægrotis adſumus, damus conſilia & remedia, & non ſine dolore multa triſtia ſpectacula cernimus, præcipuam adfert conſolationem hæc ipſa cauſa, quòd ſcimus Deum adprobare artem, & hæc noſtra officia, ac velle eum, ut homines remedijs à ſe conditis utantur, velle etiam artifices eſſe, qui artem alijs tradant, & remedia exhibeant, & adiuuare eum fidelis medici officia, præſertim inuocantis ipſum, cùm ſcriptum ſit: *Da locum Medico, nam & Dominus eum creauit*, certè vult operam noſtram non eſſe irritam. His conſolationibus me confirmo, quoties ad ægrotantes accedo, & ſimul Deum vitæ fontem & remediorum conditorem oro, ut ipſe mentem & dextram meam gubernet. Scio magnam eſſe infirmitatem naturæ humanæ, nec ulli magis hoc norunt, quàm Medici, qui & exempla multa vident, & ſæpe cernunt ex leuibus offenſionibus oriri exitialia mala. ſæpe conualeſcentes non ſeruato

vato naturæ ordine, ſæuicia redeuntis morbi extingui, ſæpe tanta eſt corporis debilitas, ut nec cibum, nec remedia admittat. Hæc & ſi fiunt, tamen ordo diuinus non negligendus eſt, vult Deus & cibos & remedia exhiberi, id rite fiat, & eventus ipſi commendetur. Nam & amentia & ſcelus eſſet, ſeni aut ægrotanti ne cibum quidem dare, quia non ſimili voluptate fruatur, ut iuvenis, aut recte valens. Legi divinæ atque ordini divinitus ſancito obtemperemus, & Deum naturæ conditorem precemur, ut nos, quos languefactos ſcelere diaboli, tamen in hac infirmitate non vult ſubito extingui, ſervet, & concedat aliqua ſpacia, ut Eccleſiam inter nos colligat, quam ut ſemper in his regionibus colligat & gubernet, toto eum pectore oro.

DIXI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

30

Digitized by Google

Digitized by Google

634

P